JUGONNATH SUNKERSETT

PRESENTATION.

FLORA GRÆCA Sibthorpiana.

CENTURIA PRIMA.

1806



MONS PARNASSUS.

FLORA GRÆCA:

SIVE

PLANTARUM RARIORUM HISTORIA,

QUAS

IN PROVINCIIS AUT INSULIS GRÆCIÆ

LEGIT, INVESTIGAVIT, ET DEPINGI CURAVIT,

JOHANNES SIBTHORP, M. D.

S. S. REG. ET LINN. LOND. SOCIUS,

BOT. PROF. REGIUS IN ACADEMIA OXONIENSI.

HIC ILLIC ETIAM INSERTÆ SUNT

PAUCULÆ SPECIES QUAS VIR IDEM CLARISSIMUS, GRÆCIAM VERSUS NAVIGANS, IN ITINERE, PRÆSERTIM APUD ITALIAM ET SICILIAM, INVENERIT.

CHARACTERES OMNIUM,

DESCRIPTIONES ET SYNONYMA,

ELABORAVIT

JACOBUS EDVARDUS SMITH, M. D.

S. S. IMP. NAT. CUR. REGIÆ LOND. HOLM. UPSAL. TAURIN. OLYSSIP. PHILADELPH. ALIARUMQUE SOCIUS;

SOC. LINN. LOND. PRÆSES.

VOL. I.

LONDINI:

TYPIS RICHARDI TAYLOR ET SOCII,

IN VICO SHOE-LANE.

VENEUNT APUD JOHANNEM WHITE, IN VICO FLEET-STREET.

MDCCCVI.

PRÆFATIO.

PLANTÆ quas Græcia habet, jamdudum ab antiquissimis, tum a scriptoribus maximè idoneis, Homero scilicet, Theophrasto, Dioscoride &c, commemoratæ, nomen per omnes terras haud mediocre obtinuerunt. Utcunque verò celebres fuerint, et apud doctissimos viros ex mentione tam illustri factâ, gratiâ plurimùm valuerint, at nequaquam a systematico quodam botanico ritè illustratæ sunt. Barbaries scilicet quæ per totam illam regionem mores hominum sævitiâ infecit, investigationem rerum sponte illic provenientium, opus peregrinatoribus verè periculosum reddidit, et difficile admodum. Sunt profectò apud hodiernos peregrinatores perpauci qui quædam ad Botanicen Græcam spectantia, hìc illìc quasi disjecta, raptìm collegere; et plurimi scriptores, studio et labore libros et collectanea domi evolventes, quæ priùs parùm innotuerint extundere et illustrare conati sunt.

Nemo autem unquam animum ad hæc elaboranda adjunxit tali studio, quali Johannes Sibthorp M. D. in Academiâ Oxoniensi Botanices Professor Regius. Vir fuit ingeniosus admodùm, doctissimus, patientissimus laboris, pectore animoso. Cum jam arderet mens impatiens quietis desidiosæ, Academia Oxoniensis munus viatorium, ex Celeberrimi Radcliffii instituto, quod diù exoptaverat, quo iter in regiones posset alienas tendere, contulit. Quam fideliter rem gessit, quam optimè de Academiâ, atque instituto Radcliffiano meruit, hæ chartæ satis indicabunt.

Voti igitur jam compos, cursum illico in Græciam flexit Professor noster. Iter sanè inchoabat anno 1785, hoc consilium in animo præcipuè habens, quo pacto Historiam Naturalem Græciæ, Agriculturam et Medicinam ritè illustraret. *Nullius addictus jurare in verba*, omnia quæ prisci viri olim de re rusticâ dixissent, cum suis practicis observationibus conferre statuit. Pictorem egregii nominis Ferdinandum Bauer, cujus virtutem icones nostræ exhibent, secum duxit. Atque ita ad omne officii munus instructus, cùm jam multo labore per Germaniam, Italiam, Siciliamque peragravisset, tandem ad insulas continentemque Græciæ pervenit. Hìc biennium commoratus, domum anno 1787 revertit, thesauro plantarum siccatarum iconumque prædiviti onustus. Nec mora, ad propositum primarium exequendum, nempe illustrationem evulgationemque Floræ Græcæ, toto pectore sedulus incubuit. Primus labor fuit quæ in itinere collegerat studiosissimè investigare, deinde cum libris collectaneisque Sherardianis Oxoniæ conservatis, Banksianis Londini, et Museo Linnæano, quod aliquot abhinc annis mihi jure emptum cesserat, omnia comparare. Cum verò totus in hoc esset, inceptum opus ad umbilicum ducere nequivit; quippe plurima, ad labores adimplendos necessaria, aut omninò prætermissa, aut nimis negligenter observata fuisse, sensit. Hinc visum est vestigia rursùs in Græciam ferre, si quà quæ deficerent liceat supplere. Hoc itinere feliciter peracto, domum secundò rediit anno 1795. At interim ardor animi vires corporis absumpserat. Patriæ redditum eheu! mors excepit.

Ad postremam verò diem usque solicitus, ne frustrà tantum operæ insumpserit, posthumam investigationum botanicarum publicationem in animo conceperat, eandemque ad ordinem quendam redegerat. Imprimis mille plantas sub titulo Floræ Græcæ, in decem volumina folio digestas, omnes descriptas et ritè depictas, singulo nempe volumine centum plantas continente, edi voluit. Quin et eodem tempore Prodromum Floræ Græcæ octavo, omninò sine iconibus, evulgandum jussit. Porrò testamenti sui curatores, amicos omni laude dignos, Dominum Johannem Hawkins, prioris itineris postremique maximâ ex parte socium, et Dominum Thomam Platt postulavit, ut diligenter exquirerent qui opera hæc juris publici faceret, qui etiam characteres

et descriptiones plantarum conficeret, synonyma auctorum cogeret, et alia operibus illustrandis necessaria, ex iconibus speciminibus et manuscriptis suis, pararet. Quo sumptus huic negotio tam immenso suppeditentur, prædium quod quotannis 300 ferè minas reddebat, Academiæ Oxoniensi testamento dedit animo verè liberali; fidei committens, quod primi ex hoc prædio reditus ad opera hæc paranda atque evulganda omninò impenderentur, et quod, postquam hæc absoluta forent, posteri proventus omnes ad Professorem in Agriculturâ et Re Rusticâ in Academiâ Oxoniensi remunerandum applicentur.

Curatores testamenti Sibthorpiani publicationem utriusque operis, Prodromi scilicet Floræ Græcæ et Floræ Græcæ ipsius, mihi commiserunt. Quà potui votis defuncti amici respondere studui: liceat saltem profiteri, quòd quo fideliùs commissa exequerer, iterum atque iterum testamentum Sibthorpianum perlegi; notas quas contulerat omnes pro re natâ inserui; quæ proposita vivâ voce testamenti sui curatoribus atque aliis amicis, præcipuè illustrissimo Josepho Banks Baronetto, tum mihi quoque, plurimis locis temporibus et modis communicâsset, omnia solicitus in memoriâ tenui, et fideliter obsecutus sum.

Primus mihi labor fuit idoneum quendam, qui icones ritè ad adumbrationes primarias sculperet, exquirere. Illud opus D. Jacobo Sowerby, jamdudum hâc arte celeberrimo, collatum est. At priusquam icones ære incisæ fuerint, mihi curæ fuit singulas cum archetypis conferre; mox etiam num color singulæ iconi pictæ, habitusque rectè convenirent, sedulò scrutari.

Quod ad Floræ Græcæ, tum ad Prodromi descriptiones, observationes, cæteraque hujuscemodi attinet, necesse est dinumerem fontes unde omnia hæc mihi haurire licuit; tum quam partem horum tuli, ne aut ego culpæ obnoxius sim de rebus quæ nequaquam vitandæ fuerint, aut e contra ne doctissimi Sibthorp nomen culpâ ingenii mei deterere videar.

Duas diversas plantarum Græcarum enumerationes elaboravit Sibthorp.

Hisce subjunxit citationes Linnæi et Tournefortii, et iconem singulæ speciei retulit, simul memorans quo in loco quamque invenerit. Hæc manuscripta magnâ ex parte materiem præbuerunt unde Prodromus Floræ Græcæ confectus fuit. Exhibent scilicet non solùm mille plantas Floræ Græcæ, quin et cæteras quas hic illic in Græciâ Sibthorp observaverat. At hæc manuscripta non adeò omnibus numeris absoluta sunt, prout fors fuissent si Sibthorp ipse ultimam manum operi imposuisset. Plurima enim necessariò addenda observavi ex herbario, itinerariis, atque aliis catalogis et Floris ejus partialibus desumenda. Nomina prætereà, et synonyma auctorum, multis in locis correxi et mutavi, herbariis Linnæi, Banksii et Tournefortii, quæ satis evolvere defuncto amico nostro non licuit, ità suadentibus.

Observationes in utroque opere botanicæ, characteres specifici, descriptionesque, ea omnia mihi imputanda sunt; namque omnia hæc intacta Sibthorp prætermisit. Lectorem igitur oro, obsecro, quascunque hallucinationes in his rebus detexerit, condonet benevolus. Hanc veniam jure quodam mihi impetrare fas est. Nam vix observatio aliqua, aut etiam nomen, plantis siccatis sive iconibus a Sibthorp adjectum fuit. Quæ igitur observatio, aut quod nomen in manuscriptis cuique plantæ convenerit, non nisi ex investigatione nominum et notarum congeriei, pluries repetitâ, laboriosissimâ, patuit. Insuper hæc præsertim liceat memorare, quod nomina in itinerario conscripta plerumque extemporanea fuerint, et postea multis in locis per catalogos varios mutata, nullâ prioris tituli commemoratione citatâ. Hinc summopere cavendum duxi, quo minùs ulla planta de quâ ex mentione in prioribus catalogis aut itinerariis factâ, incertus fuerim, aut de quâ aut me aut alios falli posse suspicarer, in Floram admittatur, nisi prius aut herbarium Sibthorpianum, aut icones Bauerianæ, sedem ejus ritè confirmaverint. His testimoniis deficientibus nomen *Sibthorpianum* subjunxi. Cum vix ulla *plantarum cryptogamicarum in Prodromo Floræ* Græcæ *enumeratarum specimina in collectaneis Sibthorpianis hodiè* conservata extant, de his fides illustrissimo viro ipsi, classis Cryptogamiæ certè peritissimo, omnis danda est.

Quod ad delectum plantarum quæ in opere majori, Florâ scilicet Græcâ, inseruntur, attinet, intelligendum est, quod Sibthorp jamdudum omnes has nominatìm indixerat. Mihi igitur fuit hujus voluntati atque instituto obsequi, minimè repugnare. Icones mille quas edendas fore instituerat, ferè omnes adumbratas reliquit. Voluit sanè iconem exhibere cujusque plantæ quam in Græciâ antiquâ et regionibus circumjacentibus collegerat, (paucarum prætereà aut novarum, aut inter rariores habendarum, quas in itinere invenerat per Italiam Siciliæque partem) nec in Curtisii Florâ Londinensi, aut in operibus Jacquini priùs depictam observaverat. Et quamvis post mortem ejus plurimæ quas adumbrari curaverat, in voluminibus sequentibus Jacquini locum habuerint, visum est tamen nobis nullam mutationem facere, quin omnes in lucem edere quas Sibthorp edi destinaverat. Modò vita illi longior concessa fuisset, proculdubiò opus ditavisset figuris plurium novarum specierum in ultimo itinere inventarum, quas in Prodromo memoravi. Lubens quidem icones harum in opere illo exhibuissem, at amici nostri testamentum omninò vetuit.

Synonyma Dioscoridis sumuntur ex manuscripto Sibthorpiano quod Viennæ plerumque conscripserat, ubi in codicem veterem celeberrimum, tabulis pictis ornatum, incidit. Omnia hæc synonyma cum optimis editionibus Dioscoridis comparavi. Si quà rationem habui cur in dubio de synonymi alicujus applicatione hærerem, illic nomen Professoris nostri (illi enim error, si quis sit, imputandus est,) subjeci. Nomina quæ Græci hodierni plantis attribuere, ex observationibus ejus didici. Hæc Dominus Hawkins revisit sedulus. Quæ nomina plantarum in insulà Zacyntho in usu sunt sæpè subjiciuntur; omnia hæc medicus quidam ejus insulæ Sibthorp retulit, unà cum plantis ipsis exsiccatis.

Illustratio scriptorum Græcorum veterum, eorundemque synonymorum, in longè majus provecta fuisset, multaque præterea aut omninò omissa, aut leviter in itinerariis ejus tacta, inserta fuissent, modo Deus O. M. vitam Sibthorp satis ad hæc adimplenda concessisset. Quicquid in istis certum et indubitatum extrahere potui, quod ad usus

et vires plantarum attinet, ad calcem observationum mearum passim adjicitur.

Haud omninò supervacaneum fore duxi memorare quod nomen *Salvia candidissima,* a Professore Vahl impositum, a me retentum fuisset, nisi appellatio *crassifolia* jamjam in tabulâ insculpta fuisset.

J. E. SMITH.

Dabam LONDINI,
Jul. Die 1mo MDCCCVI.



Corispermum hyssopifolium

MONANDRIA DIGYNIA.

CORISPERMUM.

Linn. G. Pl. 6. *Juss.* 86. *Gærtn. t.* 75.

Calyx nullus. *Corolla* bifida. *Semen* unicum, superum, nudum, ellipticum, marginatum.

TABULA 1.

CORISPERMUM HYSSOPIFOLIUM.

Corispermum spicis terminalibus axillaribusque, foliis linearibus enervibus.

C. hyssopifolium. *Linn. Sp. Pl.* 6. *Pall. Ross. v.* 1. *pars* 2. 112. *t.* 98. *Juss. Mem. de l'Acad. des Sc. de Paris, ann.* 1712. 187. *t.* 10.

C. foliis alternis. *Gmel. Sib. v.* 3. 10.

In arenosis maritimis Thraciæ ad Pontum Euxinum, prope *Fanar* et Cyaneas insulas. ☉.

Radix ramosa, flexuosa, albida, lævis. *Caulis* diffusus, flexuosus, ramosissimus, teretiusculus, striatus, glaber; *ramis* alternis, elongatis, subdivisis, foliosis, plerumque glabris. *Folia* alterna, sessilia, linearia, planiuscula, integerrima, acuta, vix mucronata, enervia, glabra. *Spicæ* axillares et terminales, simplices, elongatæ, multifloræ. *Bracteæ* subimbricatæ, foliaceæ, ovatæ, margine scarioso, albo. *Flores* solitarii, exigui, sessiles in axillis bractearum. *Calyx* nullus. *Corolla* parva, membranacea, concava, obtusa, bifida, alba. *Stamen* sæpiùs inveni unicum; interdùm duo adsunt; tria, ut Sibthorp in icone depingi curavit; quandoque, ex auctoritate Linnæi atque Pallasii, quatuor vel quinque. *Filamentum* capillare, album, corollâ parùm longius. *Anthera* didyma, flava. *Germen* superum, obovatum, compressum. *Styli* divaricati. *Stigmata* simplicia. *Semen* nudum, maximum, ellipticum, compressum, hinc convexiusculum, margine scarioso undique cinctum.

Hæreo annon hujusce plantæ varietas sit Corispermum squarrosum Linnæi, cujus archetypus ad Pallasii figuram *tab.* 98 BD, etiam ad Buxbaumii iconem *Cent.* 3. *t.* 55. omninò accedit. C. squarrosum Pallasii *tab.* 99, *Buxb. t.* 56, prorsùs distincta species videtur, Linnæo æquè ac Gmelino ignota, ut optimè suspicatus est Floræ Rossicæ auctor celeberrimus.

a. Bracteam sistit, magnitudine naturali. *B.* Idem insignitèr auctus.

b. Flos triandrus seorsìm. *c, C.* Semen magnitudine naturali et quadruplò auctâ.

DIANDRIA MONOGYNIA.

PHILLYREA.

Linn. G. Pl. 10. *Juss.* 106. *Gærtn. t.* 92.

Corolla quadrifida. *Bacca* supera, monosperma.

TABULA 2.

PHILLYREA LATIFOLIA.

Phillyrea foliis ovato-cordatis serratis.
Ph. latifolia. *Linn. Sp. Pl.* 10. *Desfont. Atlant. v.* 1. 8.
Ph. folio levitèr serrato. *Tourn. Inst.* 596.
Ph. secunda. *Clus. Hist. v.* 1. 52.
Φιλλυρεα *Dioscoridis.*
Φύλλικα *hodiè.*
Φυλλίκι *Zacynthiorum.*
Αγλανδινιὰ *Bœoticorum.*

In montosis asperis insularum Græcarum. Frequens in Cretâ. ♄.

Frutex ramosissimus, rigidus, sempervirens, glaber. *Rami* oppositi, stricti, teretes, foliosi. *Folia* opposita, patentia, subsessilia, ovata, subcordata, obtusiuscula, variè serrata; suprà saturatè viridia, nitida; subtùs pallidiora, obsoletè venosa: superiora angustiora, magìsque elliptica. *Stipulæ* nullæ. *Paniculæ* axillares, oppositæ, densæ, foliis triplò breviores. *Pedicelli* quadranguli, glabri. *Bracteæ* parvæ, ovatæ, concavæ, integerrimæ, glabræ. *Calyx* campanulatus, quadrifidus, subregularis. *Corolla* campanulata, ochroleuca, calyce duplò longior, quadrifida; laciniis patentibus, ovatis, æqualibus. *Stamina* tubo inserta, laciniis alterna. *Filamenta* brevia. *Antheræ* magnæ, cordato-ellipticæ, luteolæ. *Germen* superum, globosum. *Stylus* rectus, staminibus brevior. *Stigma* obtusum, emarginatum. *Bacca* globosa, subdepressa, violacea. *Semen* magnum, globosum, corneum, putamine tenui, fragili, nec osseo.

a, A. Flos magnitudine naturali et auctâ.
B. Calyx cum pistillo.
c. Baccæ maturæ.
d. Bacca tranversè secta.
e. Semen.



Phillyrea latifolia



OLEA.

Linn. G. Pl. 10. *Juss.* 105. *Gærtn. t.* 93.

Corolla quadrifida. *Drupa* supera, monosperma.

TABULA 3.

OLEA EUROPÆA.

OLEA foliis lanceolatis integerrimis subtùs discoloribus, racemis axillaribus coarctatis.

O. europæa. *Linn. Sp. Pl.* 11. *Ait. Hort. Kew. v.* 1. 12. *α.* *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 44. *α.* *Woodv. Med. Bot.* 369. *t.* 136. *Desfont. Atlant. v.* 1. 9.

O. sylvestris, folio duro, subtùs incano. *Tourn. Inst.* 599.

Ελαια αγραια *Dioscoridis.*

Ελαια ἡμερα, planta sativa, *ejusdem.*

Αγροελιὰ *hodiè.*

Jaban Zeitan Agagí *Turcorum.*

In insulis Græcis copiosè; etiam ad viam inter Scalam novam et Smyrnam. Ubique culta invenitur. ♄.

Arbor humilis, patula, ramosissima, ramulis subtetragonis, incanis. *Folia* sempervirentia, opposita, patentia, subpetiolata, lanceolata, acuta, integerrima, parùm revoluta; suprà saturatè viridia, lævia, glabra; subtùs incana, oculo armato minutè squamulosa. *Stipulæ* nullæ. *Racemi* axillares, oppositi, foliis duplò breviores, densi, incani, pedicellis plerumque oppositis, brevibus. *Bracteæ* parvæ, concavæ, obtusæ, incanæ. *Calyx* quadrifidus, regularis. *Corolla* alba, quadripartita, regularis, patens, laciniis ovatis, obtusis, obsoletè trinervibus. *Stamina* corollâ breviora, divaricata. *Antheræ* magnæ, ellipticæ, albæ. *Stylus* erectus. *Stigma* bipartitum. *Drupa* elliptica, obtusa, violacea, carne intùs albidâ, amarâ, nauseosâ, sed oleo dulci ac blando repletâ. *Nux* solitaria, ovata, acuminata, lapidea, sulcata, sæpiùs unilocularis, monosperma; in germine verò bilocularis, seminum rudimentis binis.

Variat foliis brevioribus, et ferè obovatis.

a, A. Flos magnitudine naturali et auctâ.
B. Calyx cum pistillo.
c. Drupa.
d. Ejusdem sectio transversa.
e. Nux.

FRAXINUS.

Linn. G. Pl. 550. *Juss.* 105. *Gærtn. t.* 49.

Calyx nullus, aut quadripartitus. *Corolla* nulla, aut quadripartita. *Capsula* supera, bilocularis, supernè foliacea, compressa. *Semina* solitaria, pendula.

Flores aliquot fœminei.

TABULA 4.

FRAXINUS ORNUS.

Fraxinus foliolis elliptico-oblongis acuminatis serratis, floribus corollatis.

F. Ornus. *Linn. Sp. Pl.* 1510. *Ait. Hort. Kew. v.* 3. 445. *Willden. Baumz.* 115. *Woodv. Med. Bot.* 104. *t.* 36.

F. humilior, sive altera Theophrasti, minore et tenuiore folio. *Bauh. Pin.* 416.

F. florifera botryoides. *Moris. Præl.* 265. *Tourn. Inst.* 577.

Μελια *Dioscoridis.*

Μέλεος *hodiè.*

Disu Budak *Turcorum.*

In monte Parnasso, et circa Byzantium. *Sibth.* Frequens in montibus elatioribus petrosis per totam Græciam. *D. Hawkins.* ♄.

Arbor humilis, ramosissima, glabra, ramulis oppositis, teretiusculis. *Folia* decidua, opposita, petiolata, impari-pinnata, bi- vel trijuga; foliola opposita, sæpiùs petiolata, elliptico-oblonga, utrinque acuminata, obtusè et inæqualitèr serrata, venosa, undique glabra. *Petioli* longitudine varii, compresso-canaliculati, glabri. *Stipulæ* nullæ. *Gemmæ* villosæ. *Paniculæ* axillares, oppositæ, supradecompositæ, multifloræ, vix longitudine foliorum, ebracteatæ, glabræ. *Flores* pedicellati, oppositi, corollati, albi. *Calycis* laciniæ ovatæ, acutæ, subæquales, glabræ. *Petala* lineari-oblonga, obtusa, integerrima, basi attenuata, uniformia et regularia, patentissima, calyce decuplò longiora. *Stamina* duo, petalis alterna parùmque breviora, patentissima, alba, glabra. *Antheræ* incumbentes, flavæ. *Germen* parvum, subrotundum, glabrum. *Stylus* staminibus quintuplò brevior, rectus. *Stigma* subcapitatum, emarginatum. *Capsula* cernua, lanceolata, emarginata, compressa, glabra, nervosa, basi bilocularis, loculo altero sæpiùs abortiente. *Semina* solitaria, cylindracea, ferruginea.

Flores aliquot staminibus destituuntur, dum in aliis paucioribus germen abortivum, stylo prorsùs deficiente, invenitur; ut in icone nostrâ conspiciendum est.

Manna officinarum ex hâc arbore diffunditur.

In Minæ peninsulâ tantùm hodiè colligitur. *D. Hawkins.*

a, A. Flos masculus, magnitudine naturali et auctâ.

b. Paniculæ ramulus, capsulas maturas gerens.





Veronica gentianoides



Veronica thymifolia

VERONICA.

Linn. G. Pl. 12. *Juss.* 99. *Gærtn. t.* 54.

Corolla quadrifida, rotata, laciniâ infimâ angustiore. *Capsula* supera, bilocularis, polysperma.

TABULA 5.

VERONICA GENTIANOIDES.

VERONICA corymbo terminali hirsuto, foliis radicalibus lanceolatis subcrenatis nudis.

V. gentianoides. *Trans. of Linn. Soc. v.* 1. 194. *Vahl. Symb. v.* 1. 1. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 61.

V. orientalis erecta, gentianellæ foliis. *Tourn. Cor.* 7.

V. erecta, blattariæ facie. *Buxb. Cent.* 1. 23. *t.* 35.

In summâ parte, nive solutâ, montis Olympi Bithyni. ♃.

Radix perennis, tuberosa, fibris longissimè descendentibus, subsimplicibus. *Caulis* adscendens, spithamæus, subindè pedalis, simplex, parùm foliosus, teres, basi glaber, supernè pubescens. *Folia* radicalia plurima, elliptico-lanceolata, acutiuscula, coriacea, margine plùs minùs crenata, aliquantulùm cartilaginea, utrinque glabra, avenia, rariùs subpubescentia, basi angustata, ferè petiolata; caulina minora, obtusiora, et angustiora, opposita, quandoque connato-perfoliata, hirsuta. *Corymbus* terminalis, erectus, solitarius, simplex, multiflorus, undique hirsutus, demùm spicatus. *Bracteæ* lineari-oblongæ, obtusiusculæ, pedicellis breviores. *Calyx* quadripartitus, inæqualis, obtusus. *Corolla* magna, formosa, dilutè violacea, venis saturatioribus picta; laciniâ infimâ reliquis triplò aut quadruplò minori; tubo virente. *Stamina* declinata, corollâ breviora, glabra. *Antheræ* magnæ, cordatæ, demùm oblongæ. *Stylus* sursùm incrassatus, glaber. *Stigma* obtusum. *Capsula* obcordata, subventricosa, hirsuta, utrinque sulcata, bilocularis, bivalvis, valvulis demùm longitudinalitèr diffissis. *Semina* plurima, elliptica, complanata.

a. Corolla antrorsùm visa, cum staminibus in situ naturali.
b. Eadem horizontalitèr, tubo expanso.
c. Calyx cum pedunculo et stylo.
d. Capsula.

TABULA 6.

VERONICA THYMIFOLIA.

VERONICA corymbo terminali, foliis revolutis incanis, caulibus fruticulosis diffusis, capsularum lobis divaricatis.

In cacùmine montium Cretæ, olim Leuci nunc Sphaciotici dictorum. Floret inter saxa nive nupèr operta. ♃.

Radix perennis, lignosa, multiceps. *Caules* plures, palmares, diffusi, fruticulosi, subramosi, foliosi, teretes, pubescentes. *Folia* opposita, parva, subsessilia, elliptica, obtusa, integerrima, revoluta, incana, avenia. *Corymbi* terminales, solitarii, breves, undique hirsuto-incani. *Bracteæ* parvæ, obovatæ, obtusæ, integerrimæ, longitudine pedicellorum. *Calyx* quadripartitus, ferè regularis, laciniis elliptico-lanceolatis, obtusiusculis, integerrimis, basi trinervibus. *Corolla* cyanea; laciniâ infimâ lateralibus vix duplò minore; tubo albo. *Stamina* erecta. *Stylus* filiformis, deciduus. *Capsula* bivalvis, hirsuto-incana, obcordata, lobis divaricatis. *Semina* elliptico-subrotunda, cornea, compressa, obsoletè rugosa, hinc gibba.

A. Corolla parùm aucta, tubo longitudinalitèr secto, staminibus coronato.
b. Corolla magnitudine naturali, cum staminibus.
c. Pedunculus, calyx et pistillum.
d. Capsula.
e. Semen.

TABULA 7.

VERONICA GLAUCA.

Veronica floribus solitariis, foliis cordatis inciso-serratis, caulibus procumbentibus, laciniis calycinis utrinque dentatis.

In jugo montis Hymetti prope Athenas. *D. Ferd. Bauer.* ⊙.

Radix fibrosa, annua. *Caules* prostrati, undique diffusi, ramosissimi, foliosi, hirsuti; ramis oppositis, lineâ densiùs pilosâ utrinque notatis. *Folia* petiolata, cordata, obtusiuscula, inciso-serrata, obsoletè venosa, glauca, subtùs basique hirsutiora, apice ferè denudata; inferiora opposita; superiora alterna. *Petioli* dilatato-marginati, hirsutissimi. *Pedunculi* axillares, solitarii, uniflori, capillares, glabri, folio breviores. *Calyx* quadripartitus, glaberrimus, glaucus, laciniis ellipticis, acutis, uninervibus, utrinque unidentatis, rariùs bidentatis. *Corolla* saturatè cærulea ore alba, laciniâ infimâ magnitudine ferè superioris. *Stamina* albida, corollâ duplò breviora, horizontalia. *Stylus* sursùm incrassatus. *Fructus* exemplaribus deest.

a. Corolla et stamina. *b*. Pedunculus, calyx atque pistillum.

TABULA 8.

VERONICA AGRESTIS, *varietas byzantiaca.*

Veronica floribus solitariis, foliis ovatis inciso-serratis pedunculo brevioribus, caulibus procumbentibus, seminibus urceolatis.

V. agrestis. *Linn. Sp. Pl.* 18.

β V. flosculis oblongis pediculis insidentibus, chamædryos folio, major. *Buxb. Cent.* 1. 26. *t.* 40. *f.* 2.

In insulis Principum prope Byzantium. ⊙.



Veronica glauca



Veronica agrestis varietas byzantiaca



Veronica cymbalaria

Radix fibrosa, annua. *Caules* plures, procumbentes, spithamæi vel pedales, ramosi, foliosi, multiflori, obsoletè quadranguli, lateribus oppositis præcipuè hirsuti, ramis oppositis, teretiusculis, patentibus, simplicibus, apice subadscendentibus. *Folia* infima opposita, reliqua subalterna, breviùs petiolata, patentissima, cordato-ovata, obtusa, latè serrata, saturatè viridia, venosa, utrinque subpilosa. *Pedunculi* axillares, solitarii, uniflori, longitudine foliorum sive parùm longiores, filiformes, undique hirsuti; fructiferi recurvi. *Calyx* quadripartitus, laciniis ovatis, elongatis, obtusis, integerrimis, subtrinervibus, venosis, glabratis, ciliatis, basi villosissimis. *Corolla* calyce parùm longior, lætè cærulea, striata, ore alba; laciniis tribus cordatis, æqualibus; infimâ latè ellipticâ, parumque minori. *Stamina* porrecta, arcuata, medio incrassata, corollâ breviora. *Stylus* filiformis, glaber. *Stigma* capitatum. *Capsula* cordato-didyma, ventricosa, venosa, hirsuta, bivalvis. *Semina* utrinque plurima, urceolata, cornea, extùs corrugata.

Hanc sub nomine *Veronicæ byzantiacæ* in manuscriptis memoravit Sibthorp; at mihi, sedulò examinanti, videtur esse mera *V. agrestis* varietas, neque a vulgari, nisi omnium partium magnitudine atque florum elegantiâ, discrepare. Figura calycis, capsularum, seminumque, in utrâque omninò eadem est.

a. Pedunculus, calyx et pistillum. *b.* Corolla et stamina. *C.* Stamen auctum.

TABULA 9.

VERONICA CYMBALARIA.

VERONICA floribus solitariis, foliis cordatis inciso-crenatis, laciniis calycinis rotundatis, seminibus urceolatis læviusculis.

V. cymbalariæfolia. *Vahl. Enum. v.* 1. 81.

V. cymbalarifolia. *Gmel. Tubing.* 6.

V. hederifolia β. *Linn. Sp. Pl.* 19. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 74.

V. chia, cymbalariæ folio, verna, flore albo umbilico virescente. *Tourn. Cor.* 7. *Buxb. Cent.* 1. 25. *t.* 39. *f.* 2, malè.

Circa Byzantium, et in Archipelagi insulis. ⊙.

Radix fibrosa, annua. *Caules* erecto-patentes, subsimplices, foliosi, tetragoni, lineâ longitudinali utrinque pilosi. *Folia* opposita, petiolata, cordata, obtusa, inciso-crenata, nervosa, utrinque hirsuta, proprio petiolo breviora. *Pedunculi* axillares, solitarii, uniflori, capillares, subhirsuti, foliis longiores. *Calyx* quadripartitus, laciniis subæqualibus, rotundatis, obtusis, enervibus, hirtis, ciliatis, integerrimis. *Corolla* alba, ore luteo vel virescente; laciniis tribus superioribus cordatis, acutis; infimâ oblongâ, angustatâ. *Stamina* corollâ duplò breviora. *Stigma* capitatum. *Capsula* didyma, ventricosa, hirsuta, bivalvis. *Semina* utrinque bina, magna, umbilicato-concava, margine præcipuè corrugata, extùs læviuscula.

A *V. hederifoliâ* luce clariùs dignoscenda laciniis calycinis rotundatis obtusis, minimè cordatis, ne dicam seminibus minùs rugosis.

a, A. Flos. *b, B.* Calyx cum pistillo.



Pinguicula crystallina

TABULA 10.

VERONICA TRIPHYLLOS.

VERONICA floribus solitariis, foliis digitato-partitis obtusis, pedunculis calyce longioribus, seminibus complanatis.

V. triphyllos. *Linn. Sp. Pl.* 19. *Fl. Brit.* 25.

V. verna, trifido vel quinquefido folio. *Tourn. Inst.* 145.

In campestribus Thraciæ Pontum Bosphorum et Euxinum versus. ⊙.

Radix fibrosa, annua. *Herba* undique pubescenti-incana, exsiccatione nigrescens. *Caulis* ramosissimus, patulus, ramis tortuosis, teretibus, foliosis. *Folia* primordialia vix lobata; reliqua alterna, subsessilia, tripartita, lobis obovato-oblongis, obtusis, quandoque subcrenatis, lateralibus sæpiùs bipartitis. *Pedunculi* axillares, solitarii, erecti, teretes, foliis longiores. *Calyx* quadripartitus, laciniis obtusis; duabus inferioribus majoribus, quandoque dentatis. *Corolla* saturatè cærulea, laciniis rhomboideis, acutis, subæqualibus. *Stamina* corollâ breviora. *Stylus* staminibus brevior. *Stigma* capitatum. *Capsula* orbiculato-cordata, compressa, ciliata. *Semina* utrinque plurima, obovata, compressa, lævia.

a. Calyx floris, cum pistillo.
b, *B*. Corolla et stamina.
c. Fructus calyce persistenti suffultus.
d. Capsula seorsim.

PINGUICULA.

Linn. G. Pl. 13. *Juss.* 98. *Gærtn. t.* 112.

Corolla ringens, calcarata. *Calyx* bilabiatus, quinquefidus. *Capsula* supera, unilocularis.

TABULA 11.

PINGUICULA CRYSTALLINA.

PINGUICULA corollâ inæquali, nectario obtuso petalo breviore, laciniis calycinis oblongis, scapo basi glabro.

In rivulis prope vicum Camandriæ in insulâ Cypro. *D. Ferd. Bauer.*

Radix fibrosa. *Folia* plurima, radicalia, elliptico-oblonga, obtusa, integerrima, involuto-concava, glaucescentia, unicolora, undique glanduloso-crystallina, glabra. *Scapi* plures, biunciales, erecti, filiformes, nudi, basi glabri, apice subpubescentes. *Flores* terminales, solitarii, nutantes. *Calyx* subpubescens, laciniis inæqualibus, lineari-oblongis, obtusis. *Corolla* bilabiata, inæqualis: labium superius bilobum, lobis divaricatis, albis, basi purpureo reticulatum; inferius quadrilobum, album margine



Veronica triphyllos



Lycopus exaltatus

dilutè violaceo, palato villoso, flavo: calcar limbo brevius, deflexum, apice obtuso, parùm ventricoso. *Stamina* arcuata, glabra. *Antheræ* conniventes, cordatæ, albæ. *Germen* globosum, glabrum. *Stylus* brevis, filiformis, rectus. *Stigma* simplex.

a. Calyx.
b. Corolla pictoris ope expansa.
C. Labium superius magnitudine auctum.
D. Stamina et pistillum.
E. Pistillum seorsim.

LYCOPUS.

Linn. G. Pl. 15. *Juss.* 111.

Corolla quadrifida: laciniâ unicâ emarginatâ. *Stamina* distantia. *Semina* quatuor, nuda, retusa.

TABULA 12.

LYCOPUS EXALTATUS.

Lycopus foliis pinnatifidis dentatis, calycibus quadrifidis quinquefidisve.
L. exaltatus. *Linn. Suppl.* 87.
L. foliis in profundas lacinias incisis. *Tourn. Inst.* 191.
Marrubium aquaticum incanum, profundè incisis foliis. *Barrel. Ic. t.* 154.

In locis humidis circa Lupadiam, Bithyniæ. ♃.

Radix repens, perennis. *Caulis* erectus, 4—6-pedalis, ramosus, undique foliosus, tetragonus, hirsutus, sæpè rubicundus. *Folia* opposita, per paria decussantia, subpetiolata, profundè pinnatifida, utrinque hirsuta; lobis lanceolatis, acutis, integris dentatisve, superioribus plerumque latioribus, magisque basi confluentibus. *Verticilli* axillares, sessiles, densi, multiflori, *bracteis* parvis, lineari-lanceolatis, acutis, quandoque suffulti. *Calyx* campanulatus, hirtus, ad medium usque quinquefidus, aut sæpiùs (ut in icone prostat) quadrifidus, laciniis mucronato-spinosis, patulis. *Corolla* tubulosa, ringens, alba, calyce parùm longior; limbo quadrifido, inæquali, lobo supremo emarginato; fauce pilosâ. *Stamina* vix exserta. *Stylus* corollâ longior. *Stigma* bifidum, acutum. *Semina* obovata, retusa, angulata, compressa, resinoso-punctata, aromatica.

Varietas pinnatifida *Lycopi europæi* ad hanc speciem quam proximè accedit, at me judice distincta manet caule humiliori, laciniis foliorum nunquam dentatis, calycibusque omnibus quinquefidis.

a. Flos.
B. Calyx.
C. Corolla cum staminibus styloque.
d, D. Calyx fructum ferens maturum.
e, E, E. Semina.

ZIZIPHORA.

Linn. G. Pl. 16. *Juss.* 111. *Gærtn. t.* 66.

Corolla ringens; labio superiore reflexo, integro; inferiore trifido. *Calyx* filiformis. *Semina* quatuor.

TABULA 13.

ZIZIPHORA CAPITATA.

Ziziphora floribus fasciculatis terminalibus, foliis ovatis.
Z. capitata. *Linn. Sp. Pl.* 31. *Mant.* 2. 317. *Desfont. Atlant. v.* 1. 18.
Thymus humilis latifolius. *Buxb. Cent.* 3. 28. *t.* 51. *f.* 1.

In monte Crucis insulæ Cypri. *D. Ferd. Bauer.* ⊙.

Radix annua, fibrosa, ramosa, flexuosa. *Caulis* erectus, 3- aut 4-uncialis, brachiato-ramosus, foliosus, obsoletè tetragonus, pubescens, villis arcuato-deflexis. *Folia* opposita, patentissima, petiolata, ovato-oblonga, integerrima, venosa, incana, margine imprimis scabriuscula; venis parallelis, pallidis. *Flores* fasciculati, terminales, numerosi, erecti. *Bracteæ* foliis similes sed latiores, ferè cordatæ, magìsque ciliatæ, subsessiles, floribus longiores. *Calyx* cylindraceus, flexuosus, quinquedentatus, sulcatus, incanus, muricatus, dentibus setaceis, subæqualibus, fauce villis clausâ. *Corollæ* tubus calyce paulò longior, filiformis, flexuosus, albidus, pubescens: limbus bilabiatus, roseus, unicolor; labio superiore indiviso, obtuso, recurvo; inferiore tripartito, lobis rotundatis, integris, subæqualibus. *Stamina* fauci inserta, limbo breviora, filiformia. *Antheræ* incumbentes, cærulescentes. *Stylus* filiformis, tubo parùm longior. *Stigma* bifidum. *Semina* quatuor, exigua, oblonga, tetragona.

Herba vix aromatica.

a. Bractea. *C.* Calyx. *E.* Eadem, tubo fisso.
b. Flos. *D.* Corolla et stamina. *F.* Pistillum.



Ziziphora capitata



Rosmarinus officinalis

ROSMARINUS.

Linn. G. Pl. 16. *Juss.* 111.

Corolla inæqualis; labio superiore bifido. *Filamenta* corollâ longiora, curva, simplicia cum dente. *Calyx* campanulatus, trifidus. *Semina* quatuor, nuda.

TABULA 14.

ROSMARINUS OFFICINALIS.

Rosmarinus officinalis. *Linn. Sp. Pl.* 33.
R. spontaneus, latiore folio. *Tourn. Inst.* 195.
Rosmarinus. *Rivin. Monop. Irr. t.* 39.
Λιβανωτις *Dioscoridis.*
Δενδρολίβανον *hodiè.*
Biberic *Turcorum.*

In insulis Græcis rariùs; in Melo legit Sibthorp. In Zacyntho, nec non in Bœotiâ. *D. Hawkins.* ♄.

Frutex erectus, quadripedalis, ramosissimus, sempervirens; ramis obsoletè quadrangulis, pubescentibus, undique foliosis. *Folia* opposita, subsessilia, recurvato-patentia, lineari-oblonga, obtusa, revoluta, integerrima; suprà glabra, saturatè viridia, nitida; subtùs tomentosa, venosa. *Ramuli floriferi* axillares, oppositi, breves, foliolosi. *Flores* axillares terminalesque, brevissimè pedicellati, erecti. *Calyx* campanulatus, bilabiatus, villosus, villis intricatis, substellatis; labio superiore indiviso; inferiore bilobo. *Corolla* ringens, pubescens, cyanea, albo purpureoque variata: tubo calyce longiori, compressiusculo: labio superiore adscendente, oblongo, bifido; inferiore trilobo, laciniâ intermediâ maximâ, concavâ, emarginatâ, repandâ. *Stamina* fauci inserta, labio superiore longiora, arcuata, supra basin unidentata. *Antheræ* terminales, oblongæ, cæruleæ. *Stylus* filiformis, arcuatus, longitudine staminum. *Stigma* simplex, acutum. *Semina* quatuor, oblonga, obtusa.

Folia floresque odore aromatico acri camphorato gaudent.

a. Calyx.
b. Corolla cum staminibus et stylo.
C. Stamen seorsìm, paulò auctum.

SALVIA.

Linn. G. Pl. 17. *Juss.* 111. *Gærtn. t.* 66.

Corolla inæqualis. *Filamenta* transversè pedicello affixa.
Semina quatuor, nuda.

TABULA 15.

SALVIA POMIFERA.

SALVIA foliis cordato-lanceolatis undulatis crenatis reticulato-venosis incanis, calycibus trilobis obtusiusculis.

S. pomifera. *Linn. Sp. Pl.* 34. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 130. *Vahl. Enum. v.* 1. 225.

S. cretica frutescens pomifera, foliis longioribus incanis et crispis. *Tourn. Cor.* 10. *It. v.* 1. 30. *cum icone.*

Φασκομηλιὰ *hodiè.*

In collibus apricis et asperis Cretæ. In Græciâ vulgaris. *D. Hawkins.* Floret Julio. ♄.

Frutex bi- vel tri-pedalis. *Caulis* lignosus, erectus, ramosissimus; ramis oppositis, tetragonis, incanis, foliosis, apice floriferis, erectis. *Folia* opposita, petiolata, patentia, lanceolato-oblonga, obtusa, undulata, crenata, subrevoluta, reticulato-venosa, utrinque tomentoso-incana, basi cordata; floralia minora et subsessilia. *Petioli* foliis triplò aut quadruplò breviores, triquetro-lineares. *Verticilli* tres aut quatuor, ex axillis foliorum superiorum, sæpiùs sexflori. *Flores* brevissimè pedicellati, magni, formosi. *Calyx* infundibuliformis, nervosus; basi pubescens, resinoso-punctatus; margine trilobo, lobis dilatatis, obtusiusculis, membranaceis, coloratis, reticulato-venosis, integerrimis, obsoletè mucronulatis, superiore majori. *Corolla* calyce triplò ferè longior, ringens, dilutè violaceus: labio superiore fornicato, retuso, integro, extùs pubescente; inferiore quadrilobo, repando, anticè albido, purpureo guttato. *Stamina* longitudine labii superioris, arcuata, anticè appendiculata. *Antheræ* versatiles, incumbentes. *Stylus* filiformis, arcuatus. *Stigma* bifidum, acutum.

Odor foliorum gratè aromaticus, pungens, ad Lavandulam accedens. Gallæ globosæ, apice folioso-crispæ, intùs carnosæ, succo acido aromatico repletæ, in tenellis ramulis, Cyniphis cujusdam ope, nascuntur. Hæ saccharo conditæ in deliciis Cretensium habentur.

a. Calyx cum pistillo.
b. Corolla integra cum staminibus.
c. Tubus corollæ, abscisso limbo, stamina in fauce gerens.



Salvia pomifera



Salvia calycina.



Salvia triloba

TABULA 16.
SALVIA CALYCINA.

Salvia foliis ovatis crenatis planis reticulato-venosis incanis, calycibus trilobis dilatatis retusis mucronulatis.

S. orientalis frutescens, foliis circinatis, acetabulis moluccæ. *Tourn. Cor.* 10.

In monte Hymetto prope Athenas. Floret Julio. ♄.

Habitus et odor prioris. *Caulis* crassus, lignosus, tortuosus. *Folia* opposita, petiolata, ovata, obtusa, plana, nec undulato-crispa, crenata, reticulato-venosa, undique tomentoso-incana. *Petioli* canaliculati, tomentoso-nivei. *Rami floriferi* erecti, elongati, subaphylli. *Verticilli* quatuor aut sex, approximati, bracteolati, sæpiùs quadriflori; infimi pedunculati, compositi. *Flores* pedicellati, magnitudine præcedentis. *Calyx* ferè campanulatus, nervosus, pubescens, resinoso-punctatus; margine valdè dilatato, scarioso, colorato, venoso, lobis rotundatis, retusis, integerrimis, mucronulatis, superiore latissimo et sæpè bifido. *Corolla* calyce vix triplò longior, ringens: labio superiore fornicato, rotundato, pallidè violaceo, extùs villoso; inferiore roseo, quadrilobo, subrepando, granticè albido, immaculato. *Stamina* et *stylus* præcedentis. *Semina* subglobosa.

Distinctissima a *Salviâ acetabulosâ* Linnæi.

a. Calyx. *b.* Corolla, stamina et stylus. *c.* Semen maturum.

TABULA 17.
SALVIA TRILOBA.

Salvia foliis ovatis crenulatis rugosis subtùs lanatis basi auriculatis, calycibus quinquedentatis acutis.

S. triloba. *Linn. Suppl.* 88. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 130. *Vahl. Enum. v.* 1. 224.

S. cretica pomifera Clusii, flore albo. *Tourn. Cor.* 10.

S. cretica pomifera et non pomifera. *Clus. Hist. v.* 1. 343.

S. baccifera. *Bauh. Pin.* 237. *Tourn. Inst.* 180.

Φάσκος, ἢ αληφασκιὰ *hodiè.*

Φασκομηλιὰ *in Peloponneso.*

In Archipelagi insulis, et per totam Græciam, locis asperis et apricis, frequens. ♄.

Caulis fruticosus, minùs tamen quam in præcedentibus crassus et lignosus. *Rami* quadranguli, foliosi, lanati. *Folia* petiolata, ovato-elliptica, obtusiuscula, crenulata, reticulato-venosa, rugosa; suprà tomentoso-incana; subtùs lanata; basi plerumque auriculata, auriculis folio conformibus at longè minoribus, subæqualibus,

sessilibus, quandoque appendiculatis. *Petioli* canaliculati, lanati. *Rami floriferi* paniculati, pilosi, basi tantùm foliosi. *Verticilli* numerosi, aphylli, nudi, parùm distantes, suboctoflori. *Flores* pedicellati, cærulescentes, minores quam in præcedentibus. *Calyx* campanulatus, angulatus, nervosus, resinosus, hirtus, margine quinquedentato, dentibus acutis, inflexis, duobus superioribus majoribus. *Corolla* calyce triplò longior, ringens: labio superiore fornicato, subinflexo, pubescente; inferiore quadrilobo, albo purpureoque lineato et guttato. *Stamina* longiùs aliquantulùm appendiculata quam in *S. pomiferâ* et *calycinâ,* magnitudine verò minora. *Antheræ* majusculæ.

Hæc quoque gallas esculentas, *Salviæ pomiferæ* et *officinalis* more, frequentèr gerit. Odore foliorum et florum ad *Salviam officinalem* accedit.

a. Calyx cum pistillo.
b. Corolla stamina includens.
c. Eadem, abscisso labio superiore.
d. Stamen seorsùm.

TABULA 18.

SALVIA RINGENS.

Salvia foliis interruptè pinnatis crenatis subrevolutis rugosis, ramis floriferis paniculatis, corollâ declinatâ recurvâ.

Χλωμὸς *hodiè.*

In petrosis ad latera montium haud infrequens. Ad cœnobium *Mega Spilaio* dictum, propè Calavritam, Peloponnesi. *D. Hawkins.* ♃.

Radix lignosa, perennis, multiceps. *Caules* erecti, pedales, simplices, herbacei, tetragoni, læves atque glaberrimi, angulis detritis, rubicundis, basi foliosi, supernè nudiusculi, apice paniculato-ramosi, multiflori. *Folia* omnia ferè caulis basin versùs congesta, opposita, petiolata, interruptè pinnata cum impari: foliolis ovatis, acutiusculis, oppositis, sessilibus, concinnè crenatis, subrevolutis; suprà rugosis, scabris; subtùs venosis, lanatis; intermediis longè minoribus ac rotundioribus. *Petioli* angulati, hirti, basi dilatati. *Rami floriferi* paniculati, patentiusculi, omninò aphylli, pilosi, viscidi. *Verticilli* tres aut quatuor in omni ramulo, remotiusculi, subtriflori. *Flores* pedicellati, cernui, magni, cærulei, formosi. *Calyx* campanulato-cylindraceus, rubicundus, nervosus, piloso-viscidus, bilabiatus; labio superiore tridentato, fastigiato; inferiore bilobo. *Corolla* calyce quadruplò longior: tubo cylindraceo, declinato: limbo adscendente, ringente; labio superiore cucullato, villoso; inferiore quadrilobo, vix crenato vel repando, antice albido guttis purpureis. *Stamina* brevia, longiùs appendiculata. *Stylus* arcuatus, incurvus. *Semina* globosa.

Herba vix aromatica, odore ingrato.

a. Calyx cum pistillo.
b. Corolla.
c. Stamina.
d. Calyx fructûs.
e. Semen.





Salvia viridis



Salvia Horminum

TABULA 19.

SALVIA VIRIDIS.

SALVIA foliis ovatis obtusis crenatis, calycibus fructiferis reflexis, bracteis rhombeis basi appendiculatis.

S. viridis. *Linn. Sp. Pl.* 34. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 132. *Jacq. Misc. v.* 2. 366. *Ic. rar. v.* 1. *t.* 4. *Desfont. Atlant. v.* 1. 20. *t.* 1.

Horminum comâ viridi. *Tourn. Inst.* 178.

In Cariæ arvis. ⊙.

Radix fibrosa, annua. *Caulis* solitarius, erectus, spithamæus, (cultus pedalis,) foliosus, tetragonus, hirsutus, supernè subramosus. *Folia* opposita, patentia, petiolata, ovata, obtusiuscula, crenata, subrugosa, villoso-scabra, venosa; subtùs pallidiora, magìsque lanata. *Petioli* foliis breviores, pilosi. *Verticilli* spicati, densi, aphylli, bracteati, plerumque sexflori. *Bracteæ* oppositæ, sessiles, rhombeæ, acutæ, integerrimæ, nervosæ, hirsutæ, virides, uniformes, basi utrinque setâ filiformi, hirsutâ, vix propriæ longitudinis, appendiculatæ. *Calyx* pedicellatus, tubulosus, angulatus, nervosus, piloso-viscidus, bilabiatus, maturescente fructu reflexus, clausus: labio superiore tridentato, dentibus fastigiatis; inferiore bilobo; laciniis omnibus aristatis. *Corolla* calyce duplò longior, erecta: tubo gracili, albo: labio superiore fornicato, compresso, pallidè violaceo, villoso; inferiore trilobo, lobis lateralibus oblongis, patulis, albidis, intermedio maximo, reniformi, concavo, dilutè purpurascente. *Stamina* breviùs appendiculata. *Stylus* arcuatus.

Herba parùm aromatica, minùsque speciosa.

a. Bractea cum appendicibus ad basin. *C.* Calyx triplò auctus.
b. Flos. *D.* Corolla.
E. Eadem, labio superiore resecto, ut stamina cum pistillo in conspectum veniant.

TABULA 20.

SALVIA HORMINUM.

SALVIA foliis ovatis obtusis crenatis, calycibus fructiferis reflexis, bracteis appendiculatis: summis sterilibus coloratis.

S. Horminum. *Linn. Sp. Pl.* 34. *Willden. Sp. Pl.* 132.

Horminum sativum. *Bauh. Pin.* 238.

H. comâ purpuro-violaceâ. *Tourn. Inst.* 178.

Sclarea minor, comâ violaceâ. *Buxb. Cent.* 4. 24. *t.* 39. *f.* 2.

Ὅρμινον *Dioscoridis.*

Σαρκοθρόφι *Argolicorum.*

In arvis Græciæ haud rara. ⊙.

Herba omninò *Salviæ viridis* est, sed plerumque major, cauleque magìs luxuriante, verticillis paulò remotioribus. Præcipuè differt bracteis pluribus superioribus sterilibus, ampliatis, membranaceis, purpureis, appendiculo ad basin orbatis: cæterùm nullo discrimine a *S. viridi* dignoscenda, cujus, me judice, varietas est. In hortis europæis sæpe colitur ob comam pulcherrimè violaceam, quandoque roseam.

a. Bractea.
B. Calyx auctus.
C, C. Corolla.
D. Stamina atque stylus.
e. Calyces fructiferi, magnitudine naturali.
f. Semen.

TABULA 21.

SALVIA FORSKÆLEI.

Salvia foliis lyratis crenatis scabris, caule subaphyllo, corollæ galeâ semibifidâ.
S. Forskælei. *Linn. Mant.* 26. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 151.
S. bifida. *Forsk. Descr.* 202.
Sclarea orientalis, folio subrotundo, flore magno, partìm albo partìm purpurascente. *Tourn. Cor.* 10. *Sibth.*

In sylvis umbrosis montis Olympi Bithyni, et circa pagum *Belgrad* ad Bosphorum, Julio florens. ♃.

Radix lignosa, perennis, subrepens. *Caulis* erectus, sesquipedalis, ferè aphyllus, tetragonus, pilosus, supernè ramosus. *Folia* omnia ferè radicalia, petiolata, lyrata, crenata, venosa, piloso-scabra, parùm rugosa, lobis rotundatis, terminali maximo, cordato, obtuso. *Verticilli* numerosi, subdistantes, sexflori. *Bracteæ* parvæ, cordatæ, acutæ, integerrimæ, simplices, pilosæ. *Flores* pedunculati, magni, speciosi, cærulei, albo variati. *Pedunculi* sæpiùs longitudine bractearum. *Calyx* tubulosus, angulatus, piloso-viscidus, bilabiatus, hians: labio superiore tridentato; inferiore bidentato; dentibus omnibus divaricatis, acutis. *Corolla* calyce triplò longior: tubo infundibuliformi, geniculato: labio superiore fornicato, falcato, piloso, viscido, semibifido, lobis conniventibus; inferiore trilobo, laciniis lateralibus deflexis, intermediâ bifidâ, crenatâ, rotundatâ, supernè albâ. *Stamina* breviùs appendiculata. *Stylus* arcuatus, corollâ longior.

a. Corolla.
b. Eadem anticè, lobis atque staminibus arte expansis ac divaricatis.
c. Calyx pistillum gerens.
d. Semina immatura.



Salvia Pratensis



Salvia Sibthorpii



Salvia multifida

TABULA 22.

SALVIA SIBTHORPII.

Salvia foliis cordatis lobatis crenatis rugosis scabris, caule subaphyllo ramoso, staminum appendiculis dilatatis.

In Peloponneso, et in insulâ Zacyntho. In itinere Parnassum versùs primò invenit clarissimus Sibthorp. *D. Ferd. Bauer.* ♃.

Radix lignosa, ramosa, nigra, perennis. *Caulis* e basi ramosus, pedalis, erectus, tetragonus, pilosus, parùm foliosus, multiflorus. *Folia* omnia ferè radicalia, petiolata, latè cordata, obtusiuscula, rugosa, venosa, utrinque scabra, suprà ad venas majores colore atro-sanguineo picta, margine lobata et inæqualitèr crenata. *Verticilli* numerosissimi, parùm distantes, sexflori. *Bracteæ* cordatæ, acutæ, integerrimæ, calyce breviores. *Flores* dilutè violacei, parvi, vix floribus *Salviæ verbenacæ* majores. *Pedunculi* bracteis triplò breviores, hirti. *Calyx* campanulato-tubulosus, hians, bilabiatus: labio superiore tridentato, fastigiato; inferiore bifido, porrecto. *Corolla* calyce duplò longior: tubo cylindraceo, rectiusculo: labio superiore fornicato, villoso, integro; inferiore trilobo, laciniis lateralibus adscendentibus, intermediâ reniformi, concavâ. *Stamina* appendiculis dilatatis, complanatis, obtusis, maximè notabilia. *Stylus* incurvus, corollâ longior.

A *Salviâ hæmatode* discrepat radice non tuberosâ, foliis scabrioribus, floribus longè minoribus.

Hanc speciem, quæ mihi omninò nova visa est, nomine inventoris condecoravi.

a. Calyx.
b, b. Corolla cum staminibus et stylo in situ naturali.
C. Stamen triplò auctum.
d. Calyx fructûs.
e. Semen.

TABULA 23.

SALVIA MULTIFIDA.

Salvia foliis cordatis multifidis incisis glabris, caule folioso simplici, staminum appendiculis retusis.

Horminum sylvestre inciso folio, cæsio flore, italicum. *Barrel. Ic. t.* 220.

In pascuis circa Byzantium. *D. Ferd. Bauer.* ♃.

Radix lignosa, perennis, multiceps. *Caules* vix spithamæi, adscendentes, simplicissimi, foliosi, tetragoni, hirti, viscidi. *Folia* cordato-oblonga, sinuato-multifida, inæqualitèr incisa ac dentata, venosa, subrugosa, glabra, vel margine tantùm scabriuscula; radicalia longiùs petiolata, petiolis scabris; caulina superiora ferè sessilia. *Verti-*

cilli spicato-approximati, subsexflori, piloso-viscidi. *Bracteæ* cordatæ, integerrimæ, hirsutæ, longitudine calycum. *Flores* subsessiles, magnitudine et formâ ferè præcedentis, cyanei. *Calycis* dentes superiores haud fastigiati. *Staminum* appendiculæ brevissimæ, retusæ.

a. Flos.
B. Calyx auctus cum pistillo.
C, C. Corolla cum staminibus et stylo.
D. Stamen seorsùm.

TABULA 24.
SALVIA CLANDESTINA.

Salvia foliis pinnatifido-linearibus serratis rugosissimis pilosis, caulibus foliosis, calycibus muticis.

S. clandestina. *Linn. Sp. Pl.* 36. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 138. *Desfont. Atlant. v.* 1. 23.

In arvis insulæ Cypri frequens. *D. Ferd. Bauer.* ♂.

Radix fusiformis, biennis, multiceps. *Caules* plurimi, spithamæi, adscendentes, parùm ramosi, foliosi, tetragoni, villosi. *Folia* petiolata, patula, lineari-pinnatifida vel subbipinnatifida, cæsia, rugosissima, revoluta, serrata, pilosa. *Rami floriferi* simplicissimi, plerumque solitarii. *Verticilli* remotiusculi, sexflori. *Bracteæ* cordatæ, integerrimæ, pilosæ, calyce breviores. *Flores* breviùs pedicellati, colore et formâ ferè prioris, at galeâ angustiore. *Calyx* pilosissimus, dentibus superioribus fastigiatis, et demùm quasi obliteratis. *Staminum* appendices elongatæ, filiformes, obtusæ.

Synonymon Barrelieri a Linnæo citatum ad præcedentem rectiùs amandetur, ut jamdudùm me monuit, dum in vivis erat, amicissimus Sibthorp.

a. Calyx et pistillum.
b, b. Corolla.
C. Stamen auctum.
d. Calyx fructûs.
e. Semen.

TABULA 25.
SALVIA SCLAREA.

Salvia foliis cordato-oblongis rugosis villosis duplicato-crenatis, bracteis coloratis concavis calyce longioribus.

S. Sclarea. *Linn. Sp. Pl.* 38. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 147.
Sclarea. *Tourn. Inst.* 179.

In arvis inter oppida *Sousougherli* et *Ulubad*, sive Lupadiam, Bithyniæ. ♂.



Salvia clandestina



Salvia Sclarea



Salvia crassifolia

Radix fusiformis, biennis. *Caules* erecti, bipedales, ramosi, foliosi, tetragoni, pilosi. *Folia* petiolata, patentia, cordata, seu cordato-oblonga, obtusa, duplicato-crenata, convexa, rugosissima, utrinque villosa, subtùs reticulato-venosa. *Petioli* hirti. *Verticilli* plurimi, remotiusculi, sexflori. *Bracteæ* magnæ, calyce duplò vel triplò longiores, patentes, cordatæ, acuminatæ, concavæ, pilosæ; inferiores foliaceæ, crenatæ; superiores coloratæ, integerrimæ; omnes fertiles. *Flores* brevissimè pedicellati, magni, odorati. *Calyx* campanulatus, hians, piloso-viscidus, quadri-aristatus, dente intermedio labii superioris obsoleto, mutico. *Corolla* calyce triplò ferè longior: labio superiore cæruleo-incarnato: laciniâ centrali inferioris crenatâ, lutescente, ut et tubus. *Stamina* ochroleuca, appendicibus linearibus, deflexis.
Herba tota plùs minùs viscida, graveolens, ambrosiaca, in hortis vulgaris.

a. Calyx. *C.* Stamina vix duplò aucta.
b. Corolla. *d.* Semen.

TABULA 26.

SALVIA CRASSIFOLIA.

Salvia foliis cordatis crenatis rugosis utrinque lanatis, caule aphyllo, bracteis calyce brevioribus.
S. candidissima. *Vahl. Enum. v.* 1. 278.
Sclarea orientalis, foliis rotundioribus candidissimis. *Tourn. Cor.* 10.

In insulâ Cypro, at rarissimè. *D. Ferd. Bauer.* ♃.

Radix lignosa, perennis. *Caulis* erectus, vix pedalis, ramosus, aphyllus, tetragonus, villosus. *Folia* omnia radicalia, petiolata, cordata, obtusa, subduplicatò-crenata, rugosa, venosa, utrinque densè lanata. *Petioli* villosissimi. *Verticilli* parùm remoti, plurimi, sexflori. *Bracteæ* calyce multò breviores, cordatæ, integerrimæ, mucronulatæ; suprà glaberrimæ; subtùs densè lanatæ. *Flores* subsessiles. *Calyx* tubulosus, quinquedentatus, aristatus, dentibus tribus labii superioris subfastigiatis, æqualibus. *Corolla* calyce vix triplò longior, dilutè purpureo alboque variata. *Stamina* alba, appendicibus linearibus, horizontalibus.

a. Calyx. *b.* Corolla. *c.* Eadem stamina gerens, galeâ abscissâ.

TABULA 27.

SALVIA ARGENTEA.

SALVIA foliis oblongis duplicato-crenatis rugosis lanatis, bracteis calyce brevioribus verticillis superioribus abortivis.

S. argentea. *Linn. Sp. Pl.* 38. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 149.

Sclarea orientalis, verbasci folio, flore partim albo partim flavescente. *Tourn. Cor.* 10.

Αιθιοπις in Idâ nascens *Dioscoridis? Sibth.*

In monte Parnasso. ♂.

Radix biennis. *Caulis* erectus, bipedalis, tetragonus, sulcatus, pilosus, foliosus, apice paniculato-ramosissimus. *Folia* petiolata, oblonga, obtusiuscula, duplicato-crenata rugosa, venosa, utrinque lanata; superiora subsessilia, basique cordata. *Petioli* lanati. *Verticilli* parùm remoti, numerosi, subsexflori, quorum tres vel quatuor superiores omninò steriles sunt, aut gemmis florum abortivis tantùm constant *Bracteæ* vix calyci æquales, cordatæ, acuminatæ, integerrimæ, hirtæ. *Flores* breviùs pedicellati, secundi, magni, formosi, albi. *Calyx* tubulosus, quinquedentatus, aristatus, pilosus, viscidus, dentibus vix fastigiatis. *Corolla* calyce triplò longior, palato fulvo. *Stamina* alba, appendicibus retusis, compressis.

a, a. Corolla cum staminibus.
b. Calyx atque pistillum.
c. Calyx fructûs.
d, d. Semina.

MORINA.

Linn. G. Pl. 18. *Juss.* 194.

Corolla inæqualis. *Calyx fructus* monophyllus, dentatus, inæqualis: *floris* bifidus. *Semen* unicum, calyce floris coronatum.

TABULA 28.

MORINA PERSICA.

MORINA persica. *Linn. Sp. Pl.* 39.

M. orientalis, carlinæ folio. *Tourn. Cor.* 48. *It. v.* 2. 120. *cum icone.*

In montibus Parnasso et Cylleni, ad campos elatos fertiliores, Augusto florens *D. Hawkins.* ♃.



Salvia argentea



Morina persica

Radix fusiformis, lignosa, fusca. *Caulis* erectus, tripedalis, strictus, simplicissimus, foliosus, teretiusculus, sulcatus, pubescens; intùs spongiosus, cavus. *Folia* lineari-oblonga, acuta, pinnatifida, utrinque glabra, quandoque subtùs pubescentia, lobis palmato-spinosis; spinis subulatis, inæqualibus, flavescentibus, divaricatis: radicalia plurima, erecta, basi attenuata et subpetiolata: caulina verticillata, quaterna, sessilia; floralia abbreviata, patentissima, densiùs villosa, multinervia, basi dilatata. *Verticilli* ex axillis foliorum superiorum, numerosissimi, multiflori. *Flores* pedicellati, erecti, longitudine ferè internodiorum, suaveolentes, elegantes, albi, demùm rosei. *Pedicelli* hirti, uniflori. *Calyx* duplex: *exterior* inferus, campanulatus, hirtus, margine multispinosus, spinis inæqualibus, rectis, duabus maximis oppositis: *interior* superus, bilabiatus; basi hirtus; labiis oblongis, retusis, plerumque emarginatis, reticulato-venosis, glabratis, subscariosis, patulis; hæc labia lateralia sunt, seu spinis duabus majoribus calycis exterioris, ut et labiis corollæ, contraria. *Corolla* calyce triplò ferè longior, monopetala, ringens: tubus infundibuliformis, gracilis, hirtus: labium superius erectum, obcordatum; inferius trilobum, lobis æqualibus, rotundatis, integerrimis; fauce hiante, nudâ. *Stamina* labio superiore duplò breviora, basique ejus inserta, filiformia, pilosa. *Antheræ* subrotundæ. *Germen* calyce interiore coronatum, ellipticum, hirtum. *Stylus* filiformis, longitudine ferè corollæ, glaber. *Stigma* capitatum. *Semen* unicum, magnum, obovatum, *Pini Pineæ* simile, avibus aut insectis citò devoratum, monente D. Hawkins.

a. Flos seorsìm.
b. Calyx interior, cum corollâ et staminibus.
c. Pistillum.
d. Calyx exterior.

TRIANDRIA MONOGYNIA.

VALERIANA.

Linn. G. Pl. 22. *Juss.* 195. *Gærtn. t.* 86.

Fedia. *Gærtn. t.* 86.

Calyx obsoletus. *Corolla* monopetala, supera, basi hinc gibba. *Fructus* coronatus.

TABULA 29.

VALERIANA ANGUSTIFOLIA.

Valeriana floribus monandris caudatis, foliis lineari-lanceolatis obtusiusculis integerrimis.

V. angustifolia. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 175. *Mill. Dict. n.* 4. *Allion. Ped. v.* 1. 1.

V. rubra *β*. *Linn. Sp. Pl.* 44.

V. monandra. *Villars. Dauph. v.* 2. 280.

V. rubra angustifolia. *Bauh. Pin.* 165. *Tourn. Inst.* 131.

In montibus elatioribus circa Athenas. ♃.

Radix lignosa, ramosa. *Caules* erecti, pedales, brachiato-ramosi, foliosi, teretes, glaberrimi uti tota planta. *Folia* opposita, breviùs petiolata, patentia, lineari-lanceolata, quandoque linearia et angustissima, obtusiuscula, integerrima, undique lævia, venosa, venis rectis, parallelis. *Petioli* carinati, alati, basi dilatati atque connati. *Stipulæ* nullæ. *Cymæ* terminales, trichotomæ, multifloræ. *Bracteæ* subulatæ. *Flores* erecti, fastigiati, rosei. *Calyx* nullus. *Corolla* gracilis; limbo quinquefido, inæquali, ringente; calcari subulato, postico. *Stamen* unicum, exsertum, longitudine limbi. *Anthera* albida. *Germen* ellipticum, apice marginatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminis. *Stigma* simplex. *Semen* ovatum, nudum, læve, pappo involuto, radiato, coronatum.

Foliis angustioribus, minùsque acuminatis, a *V. rubrâ* vulgari differt, et distincta species mihi videtur.

a. Flos integer. *A.* Idem duplò auctus.

TABULA 30.

VALERIANA CALCITRAPA.

Valeriana floribus monandris subcalcaratis, foliis omnibus pinnatifidis sessilibus.

V. calcitrapa. *Linn. Sp. Pl.* 44. *Desfont. Atlant. v.* 1. 28.



Valeriana angustifolia



Valeriana calcitrapa



Valeriana rotundifolia.



Valeriana Cornucopia

V. foliis calcitrapæ; etiam V. lusitanica latifolia annua laciniata. *Tourn. Inst.* 132.
V. annua seu æstiva. *Clus. Hist. v.* 2. 54.

In arvis Argolicis. ⊙.

Radix fibrosa. *Caulis* erectus, pedalis, strictus, plerumque simplex, teres, foliosus, glaber. *Folia* opposita, sessilia, lyrato-pinnatifida, latitudine varia, utrinque glabra. *Cyma* terminalis, trichotoma. *Bracteæ* subulatæ. *Flores* parvi, carnei. *Corollæ* tubus infundibuliformis, hinc gibbosus, sive brevissimè calcaratus; limbus patens, laciniis rotundatis, inæqualibus. *Stamen* limbo brevius. *Anthera* cærulescens. *Stigma* obtusum, vix exsertum. *Semen* hinc convexum, læve, pappo radiato, plumoso, demùm evoluto, coronatum.

a. Flos seorsìm. *A.* Idem quintuplò ferè auctus.

TABULA 31.

VALERIANA ORBICULATA.

Valeriana floribus monandris subcalcaratis, foliis inferioribus petiolatis cordato-orbiculatis denticulatis.

In monte Crucis insulæ Cypri. *D. Ferd. Bauer.* ⊙.

Habitus præcedentis. *Radix* fibrosa. *Caulis* spithamæus, erectus, subinde ramosus, foliosus, teres, glaber, quandoque rubro maculatus. *Folia* glaberrima, subcarnosa; inferiora petiolata, orbiculata, vel subcordata, denticulata, indivisa; superiora sessilia, oblonga, basi pinnatifida. *Cyma* terminalis, trichotoma. *Bracteæ* subulatæ. *Flores* parvi. *Corollæ* tubus albus, brevissimè calcaratus; limbus inæqualitèr quinquelobus, ruber. *Stamen* longitudine circitèr limbi. *Anthera* purpurascens. *Stylus* exsertus. *Stigma* simplex. *Semen* extùs convexum, læve; intùs concavum, sulcatum. *Pappus* radiatus, plumosus.

A. Flos quintuplò auctus. *c.* Idem cum pappo.
b. Semen e latere interiori. *C.* Semen pappo coronatum, quadruplò auctum.

TABULA 32.

VALERIANA CORNUCOPIÆ.

Valeriana floribus diandris ringentibus, foliis ovato-oblongis basi dentatis.
V. Cornucopiæ. *Linn. Sp. Pl.* 44. *Desfont. Atlant. v.* 1. 29.
V. indica. *Clus. Hist. v.* 2. 54.
Valerianella cornucopioides, flore galeato. *Tourn. Inst.* 133.
V. cornucopioides. *Rivin. Monop. Irr. t.* 5.

In arvis circa Byzantium.
Icon e plantâ Siciliæ lectâ. *D. Ferd. Bauer.* ☉.

Radix fusiformis. *Caulis* ramosissimus, patens, teres, glaber, carnosus, foliosus. *Folia* opposita, subcarnosa, lævia, ovato-oblonga, obtusa, basi imprimis dentata; inferiora petiolata; superiora subsessilia, basi angustata. *Cymæ* terminales, subtrichotomæ. *Pedunculi* incrassati, carnosi. *Bracteæ* imbricatæ, lanceolatæ, ciliatæ. *Flores* erecti, rosei. *Calyx* superus, bipartitus; laciniis patentibus, ovatis, acutis, persistentibus. *Corollæ* tubus gracilis, geniculatus, subtùs brevissimè calcaratus; limbus bilabiatus, quinquefidus, labio inferiore basi pallido, trilineato. *Stamina* duo, erecta, exserta, longitudine ferè limbi. *Antheræ* cæruleæ. *Stylus* longitudine staminum. *Stigma* bifidum. *Capsula* elliptica, ventricosa, trilocularis, calyce coronata. *Semina* solitaria, oblonga.

A. Flos triplò auctus. *B.* Fructus haud maturus, parùm auctus.

TABULA 33.

VALERIANA DIOSCORIDIS.

Valeriana floribus triandris, foliis omnibus pinnatis: radicalium foliolis ovatis dentato-repandis, radice tuberosâ.
Φου *Dioscoridis. Sibth.*

Prope Limyrum fluvium Lyciæ. *D. Hawkins.* ♃.

Radix e tuberibus pluribus, carnosis, fusiformibus, odore aromatico, piperato, ferè *Valerianæ officinalis* nostratis, at minùs ingrato. *Herba* glabra. *Caulis* erectus, annuus, bipedalis, simplex, foliosus, teres, fistulosus. *Folia* radicalia plurima, petiolata, lyrato-pinnata, pinnis oppositis, sessilibus, ovatis, dentato-repandis, venosis, impari maximâ; caulina opposita, pauca, sessilia, pinnata, pinnis subæqualibus, lanceolatis, inæqualitèr dentatis. *Cyma* terminalis, trichotoma, multiflora, thyrsoidea. *Bracteæ* lanceolatæ, acuminatæ. *Flores* carnei. *Corolla* infundibuliformis, ecalcarata, limbo ferè regulari. *Stamina* tria, æqualia. *Antheræ* luteolæ. *Stigma* simplex. *Semen* extùs carinatum, intùs tricostatum, subpubescens, pappo radiato, plumoso.

Hæc est verè Φου Dioscoridis, a nemine botanicorum recentiorum ante Sibthorp detecta, et cujus locum in officinis Europæis jampridèm usurpavit *Valeriana officinalis* Linnæi.

a. Flos seorsìm.
B. Corolla ad perpendiculum secta et expansa, lente aucta, cum staminibus.
C. Germen auctum, cum stylo.
d. Semen cum pappo magnitudine naturali.



Valeriana Dioscoridis



Valeriana vesicaria.



Crocus aureus

TABULA 34.

VALERIANA VESICARIA.

VALERIANA floribus triandris, caule dichotomo, foliis lanceolatis dentatis, calycibus fructûs inflatis.

V. vesicaria. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 183.

V. Locusta β. *Linn. Sp. Pl.* 47.

Valerianella cretica, fructu vesicario. *Tourn. Cor.* 6.

In Cretæ arvis. ☉.

Radix elongata, subfusiformis. *Caules* plures, dichotomi, ramosissimi, patentes, foliosi, teretes, glabri, fistulosi. *Folia* opposita, sessilia, lanceolata sive oblonga, plùs minùs dentata, glabra; summa basi auriculata. *Capitula* terminalia, pedunculata. *Bracteæ* universales geminæ, lineares; partiales imbricatæ, ovatæ, membranaceæ, pubescentes, basin calycis obvolventes. *Calyx* cyathiformis, nervosus, quinquedentatus, pubescens, demùm ampliatus, ventricosus, scariosus, persistens. *Corolla* dilutè carnea, tubo brevissimo, limbo ferè regulari. *Stamina* tria, exserta, pallida. *Stigma* obtusum. *Capsula* bi- sive trilocularis, in fundo calycis.

a. Flos bracteis suffultus. *B, B.* Idem auctus. *c, c.* Fructus magnitudine naturali.

CROCUS.

Linn. G. Pl. 25. *Juss.* 59.

Corolla sexpartita, æqualis, supera; tubo longissimo. *Stigma* tripartitum, convolutum, erosum. *Spatha* univalvis, radicalis.

TABULA 35.

CROCUS AUREUS.

CROCUS stigmate incluso trifido: lobis sublinearibus denticulatis, radicum tunicâ membranaceâ.

C. vernus Mæsiacus primus. *Clus. Pannon.* 228. *Salisb. in Annals of Bot. v.* 1. 122.

C. vernus latifolius aureus. *Tourn. Inst.* 352?

In arenosis argillâ substratis prope Sestum, Martio florens. ♃.

Radix bulbosa, solida, fusca, depressa, suprà sobolifera, basi fibras exserens, tunicis pluribus, membranaceis, enervibus, spadiceis, nitidis, demùm longitudinaliter multifidis ac fibrillosis, vestita. *Folia* radicalia, 3—6, erecta, linearia, revoluta, glabra, saturatè viridia, nervo pallido, squamis tribus vaginantibus fuscis, etiam radicalibus, obvoluta. *Flores* radicales. *Spatha* monophylla, acuta, pallidè fusca, tubo subæqualis. *Corollæ* tubus filiformis, luteolus; limbi laciniæ saturatè aureæ, ellipticæ, concavæ, subæquales, patentes. *Stamina* corollâ breviora, inclusa, tubo inserta. *Antheræ* ochroleucæ. *Stylus* filiformis, staminibus parùm brevior. *Stigma* inclusum, fulvum, laciniis æqualibus, linearibus, apice subdilatatis, denticulatis vel erosis.

A *Croco verno,* etiam a Croco flavo in hortis vulgari, differt tunicâ radicali membranaceâ, tenui, nequaquàm nervosâ, stigmatisque laciniis angustioribus, ac minùs cuneatis.

Anne in hortis nostris, cum speciebus pluribus aliis, sub nomine *Croci verni* vel *sativi,* confusa?

a, a. Corollæ laciniæ.
b. Tubi pars suprema, stamina gerens.
c. Stylus.
d. Laciniæ stigmatis.

IXIA.

Linn. G. Pl. 26. *Juss.* 58.

Corolla sexpartita, æqualis, supera. *Stigma* filiforme, trifidum. *Spatha* bivalvis.

TABULA 36.

IXIA BULBOCODIUM.

Ixia scapo subunifloro brevissimo, foliis linearibus, laciniis stigmatis bipartitis.
I. Bulbocodium. *Linn. Sp. Pl.* 51. *Jacq. Ic. Rar. v.* 2. *t.* 271. *Coll. v.* 3. 265.
Bulbocodium crocifolium, flore parvo violaceo. *Tourn. Cor.* 50.
Sisyrinchium Theophrasti. *Columm. Ecphr.* 327.
Romulea. *Maratt. Diss.* 13.
Κατζα *hodiè.*

In montibus maritimis insularum Archipelagi frequens. ♃.

Radix bulbosa, solida, subrotunda, basi sobolifera, tunicâ multiplici, lævi, apice multifidâ, vestita. *Folia* radicalia, arcuato-patentia, linearia, acuta, canaliculata; basi membranacea, vaginantia, squamâ brevi, scariosâ, solitariâ, obvoluta. *Scapus* solitarius, foliis brevior, filiformis, erectus, uni- aut biflorus, demùm arcuato-recurvus.



Ixia Bulbocodium



Gladiolus communis

Spatha diphylla, foliolis vaginantibus, alternis, concavis. *Corollæ* tubus brevissimus; limbi laciniæ patentissimæ, lanceolatæ, sive obovato-lanceolatæ, æquales, violaceæ; tres exteriores dorso sæpiùs virescentes. *Stamina* tubo inserta, limbo breviora, æqualia. *Antheræ* sagittatæ, flavæ. *Stylus* filiformis, longitudine ferè staminum. *Stigma* trifidum, laciniis bipartitis, obtusis, angustissimis. *Capsula* obovata, obtusa, trisulca, trilocularis. *Semina* plurima, globosa, nigra.

Sæpè invenitur floribus majoribus, albidis, luteo purpureoque variatis. Radix edulis.

a. Flos infernè. *b.* Spatha. *c.* Gèrmen. *d.* Stamina. *e.* Stigma.

GLADIOLUS.

Linn. G. Pl. 26. *Juss.* 58.

Corolla sexpartita, ringens, supera. *Stamina* adscendentia.

TABULA 37.

GLADIOLUS COMMUNIS.

Gladiolus foliis ensiformibus glabris, floribus distantibus secundis.

G. communis. *Linn. Sp. Pl.* 52. *Desfont. Atlant. v.* 1. 35.

G. floribus uno versu dispositis, major et procerior, flore purpuro-rubente. *Tourn. Inst.* 365.

Gladiolus. *Dod. Pempt.* 209. *Rivin. Monop. Irr. t.* 110.

Ξιφιον *Dioscoridis.*

Σπαθόκορτον *hodiè.*

Αγριόκόκορος *Zacynthiorum.*

In arvis insularum Græcarum, primo vere, vulgaris. ♃.

Radix bulbosa, solida, alba, farinacea, tunicâ duplicatâ, membranaceâ, subnervosâ. *Caulis* solitarius, erectus, bipedalis, simplex, foliosus, teres, flexuosus, glaber. *Folia* quatuor aut quinque, alterna, disticha, patentia, verticalia, ensiformia, nervosa, glabra, basi vaginantia. *Spica* terminalis, sex-decemflora, secunda, simplex, flexuosa. *Spatha* bivalvis; foliolis inæqualibus, vaginantibus, membranaceis, acuminatis, apice purpurascentibus. *Corolla* purpureo-rosea; tubo brevi; limbo infundibuliformi, ringente, laciniis obovatis, unguiculatis; tribus superioribus latioribus; inferioribus nervo albo, lanceolato, lineâ sanguineâ utrinque limitato, notatis. *Stamina* arcuato-adscendentia, corollâ breviora. *Antheræ* lineares, flavæ, basi bifidæ. *Germen* ellipticum, trisulcum, virens. *Stylus* filiformis, albus, staminibus longior. *Stigma* trifidum, roseum.

a. Flos anticè, laciniis arte expansis, cum staminibus pistilloque. *b.* Pistillum seorsìm.

TABULA 38.

GLADIOLI COMMUNIS VARIETAS.

Gladiolus triphyllus. *Sibth. MSS.*

In Cypri campestribus ad meridiem montis *Troodos* dicti, solo fertiliore. *D. Ferd. Bauer.* ♃.

Caulis spithamæus, subtriphyllus. *Spica* tri- vel quadriflora. *Corollæ* labium inferius albus, nec roseus. Varietas Gladioli communis, nequaquàm species distincta, mihi videtur.

a. Flos arte expansus, cum staminibus atque pistillo in situ naturali. *b.* Pistillum.

IRIS.

Linn. G. Pl. 27. *Juss.* 57. *Gærtn. t.* 13.

Corolla sexpartita, supera; laciniis alternis reflexis. *Stigmata* petaliformia.

TABULA 39.

IRIS FLORENTINA.

Iris corollis barbatis, caule foliis altiore subbifloro, floribus sessilibus.
I. florentina. *Linn. Sp. Pl.* 55. *Redouté Liliac. v.* 1. *t.* 23. *Desfont. Atlant. v.* 1. 36.
I. alba florentina. *Tourn. Inst.* 358.

In cœmeteriis neglectis rariùs. *D. Hawkins.* In insulâ Rhodo, et in Laconiâ. ♃.

Radix tuberosa, horizontalis, subarticulata, ramosa, depressa, exsiccatione odorem violæ spargens. *Caulis* erectus, simplex, nudiusculus, teres, plerumque biflorus. *Folia* omnia ferè radicalia, vaginantia, disticha, ensiformia, verticalia, nervosa, glaucescentia, apice incurva. *Flores* terminales, erecti, sessiles, suaveolentes. *Bracteæ* alternæ, monophyllæ, ventricosæ, nervosæ, margine scariosæ. *Corolla* cæruleo-albida, basi lutescens, atque purpureo variata, barbâ fulvâ: tubus germine sesquilongior. *Stigma* corollâ concolor, laciniis apice bifidis, acutis, serratis.

a. Lacinia corollæ exterior, cum barbâ.
b. Lacinia interior.
c. Stamina tubo corollæ imposita, abscisso stigmate.
d. Germen tubo corollæ, stylum amplectente, coronatum.



Gladioli communis varietas



Iris tuberosa

TABULA 40.

IRIS GERMANICA.

Iris corollis barbatis, caule foliis altiore multifloro, floribus inferioribus pedunculatis.
I. germanica. *Linn. Sp. Pl.* 55. *Desfont. Atlant. v.* 1. 36.
I. vulgaris, germanica, sive sylvestris. *Tourn. Inst.* 358.
Ιρις *Dioscoridis.*
Κρίνος *hodiè.*
Susen *Turcorum.*

In Cretæ campestribus. In cœmetereis et ad pagos per totam Græciam frequens. ♃.

Radix tuberosa, horizontalis, depressa, inodora. *Caulis* præcedente altior, multiflorus. *Folia* ferè præcedentis, sed longiora, minùsque aliquantulùm glauca. *Flores* ferè inodori, inferiores pedunculati. *Corollæ* laciniæ exteriores violaceæ, basi lutescentes purpureo venosæ, barbâ fulvâ; interiores dilutè purpureæ: tubus vix germine longior. *Stigma* pallidè purpurascens, laciniis dentato-serratis.

a. Corollæ lacinia exterior, cum barbâ.
b. Germen tubo corollæ coronatum, cum staminibus styloque in situ naturali.

TABULA 41.

IRIS TUBEROSA.

Iris corollâ imberbi ventricosâ: laciniis interioribus setaceis, foliis tetragonis.
I. tuberosa. *Linn. Sp. Pl.* 58. *Redouté Liliac. v.* 1. *t.* 48.
Hermodactylus folio quadrangulo. *Tourn. Cor.* 50.
Λογχῖτις *Dioscoridis.*

In Arcadiâ, et in agro Eliensi. ♃.

Radix tuberosa, digitata, alba. *Caulis* erectus, pedalis, simplex, foliosus, uniflorus. *Folia* tetragona, acuta, lætè viridia; radicalia squamis radicalibus emarcidis obvoluta; caulina basi dilatata, ventricosa, amplexicaulia, alterna. *Bractea* lanceolata, ventricosa. *Flos* terminalis, erectiusculus, dilutè virens, ventricosus; laciniis corollæ exterioribus imberbibus, nigro-fuscis; interioribus minimis, setaceis, uncinatis, inclusis, flavescentibus: tubus filiformis, elongatus. *Stamina* lutea. *Stigma* luteo-virens, laciniis bifidis, repandis.

a. Corollæ limbus expansus, e basi stamina gerens.
b. b. Laciniæ interiores. *c.* Stigma seorsim.



Iris florentina



Iris germanica

TABULA 42.

IRIS SISYRINCHIUM.

Iris corollis imberbibus, foliis linearibus canaliculatis reflexis.
I. Sisyrinchium. *Linn. Sp. Pl.* 59. *Redouté Liliac. v.* 1. *t.* 29. *Desfont. Atlant. v.* 1. 38.
Sisyrinchium majus, flore luteâ (vel albâ) maculâ notato. *Tourn. Inst.* 365.
Αγριοκρίνος *hodiè.*

In Laconiâ; et in Cypri, Cimoli et Zacynthi collibus maritimis. ♃.

Radix bulbosa, solida, farinosa, suprà sobolifera, tunicis nervosis, reticulatis. *Caulis* erectus, spithamæus, pauciflorus, teres, basi foliosus. *Folia* vaginantia, recurva, linearia, canaliculata, acuta, nervosa, subglauca. *Bracteæ* scariosæ, ventricosæ, acuminatæ. *Flores* erecti, cyanei; laciniis corollæ exterioribus deflexis, basi cæruleo-guttatis, atque maculâ latâ, albâ, vel lutescente, anticè notatis; interioribus erectis, obtusis, longitudine stigmatis, unicoloribus: tubus filiformis, longissimus. *Stamina* albida. *Stigma* cyaneum, laciniis angustatis, acutis, dentato-serratis.

a, a. Corollæ laciniæ exteriores.
b. Ejusdem lacinia interior.
c. Stamina cum styli fragmento.
d. Germen tubo coronatum, cum staminibus stylo, ad exortum stigmatis, adnatis.

SCHŒNUS.


Linn. G. Pl. 29. *Juss.* 27.

Glumæ paleaceæ, congestæ; exteriores steriles. *Corolla* nulla. *Semen* unicum, subrotundum, inter glumas.

TABULA 43.

SCHŒNUS MUCRONATUS.

Schœnus culmo tereti nudo, spiculis ovatis fasciculatis, involucro triphyllo, foliis canaliculatis recurvis.
S. mucronatus. *Linn. Sp. Pl.* 63. *Syst. Veg. ed.* 13. 81. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 259. *Desfont. Atlant. v.* 1. 41.
Cyperus ægyptiacus. *Gloxin. Obs. Bot.* 20. *t.* 3.



Iris Sisyrinchium



Schoenus mucronatus.

Scirpus maritimus, capite glomerato. *Tourn. Inst.* 528.
Juncus maritimus. *Lob. Ic.* 87.

In arenosis maritimis Cretæ et Messenæ. ♃.

Radix multiceps, repens, flagellis longissimis, teretibus, squamosis; radiculæ tomentosæ. *Culmi* solitarii, pedales, erecti, stricti, simplicissimi, nudi, teretes, glabri. *Folia* radicalia, plurima, vaginantia, longitudine ferè culmi, quandoque longiora, recurva, canaliculata, ecarinata, subpungentia, margine scabra. *Capitulum* terminale, hemisphæricum, e spiculis numerosis compositum. *Involucrum* universale triphyllum, recurvum, foliis conforme; adsunt frequentiùs inter spiculas foliola duo vel tria breviora. *Spiculæ* sessiles, congestæ, ovatæ, 6—8-floræ. *Glumæ* subdistichæ, ovatæ, carinatæ, acutæ, læves, scariosæ, sanguineo-fuscæ, carinâ viridi; binæ exteriores steriles, reliquis contrariæ, hinc ad Cyperos vix referri potest. *Stamina* tria, exserta. *Filamenta* nivea, complanata, flexuosa. *Antheræ* lineares, luteæ. *Germen* triquetrum. *Stylus* staminibus brevior. *Stigmata* tria, linearia, recurva, glabra. *Semen* obovato-triquetrum, fuscum, læve, imberbe.

a. Spicula.
B. Flosculus magnitudine auctus.
C. Germen cum stylo et stigmatibus.
d, D. Semen.

CYPERUS.

Linn. G. Pl. 29. *Juss.* 27. *Gærtn. t.* 2.

Glumæ paleaceæ, distichè imbricatæ. *Corolla* nulla. *Semen* unicum, imberbe.

TABULA 44.

CYPERUS COMOSUS.

Cyperus culmo triquetro nudo, umbellâ foliosâ, spiculis linearibus longissimis, tuberibus ovatis: zonis obsoletis.

In palustribus prope Patras. *Sibth. in Herb. Banks.* ♃.

Radix repens, flagellis horizontalibus, filiformibus, desinentibus in tubera solitaria, erecta, ovata, obsoletè zonata, fibrillosa, dura, aromatica, odore *Cyperi longi* atque *rotundi*, neque mollia, lactiflua, dulcia, ut in *C. esculento*. *Culmi* solitarii, e tuberibus præ-



cedentis anni, erecti, sesquipedales, simplices, triquetri, læves, basi foliosi. *Folia* vaginantia, erecta, linearia, carinata, undique lævia, vel apicem versùs margine tantùm scabriuscula, longitudine ferè culmi, apice laxè recurva. *Umbella* terminalis, erecta, supradecomposita, pedunculis filiformibus, lævibus, alternis, remotiusculis, basi spathaceis. *Involucrum* polyphyllum, foliis conforme, laxè patens, umbellâ longius. *Spiculæ* subalternæ, sessiles, erecto-patentes, sesquiunciales, lineares, graciles, compressæ, spadiceo-rutilantes, multifloræ. *Glumæ* distichæ, alternæ, ovatæ, acutæ, carinatæ, læves, enerves, carinâ viridi, margine angusto, scarioso, subundulato, virescente. *Stamina* exserta. *Antheræ* lineares, flavæ. *Germen* oblongum, triquetrum. *Stylus* longitudine staminum. *Stigmata* tria, elongata, capillaria, glabra, albida.

A. Flosculus seorsim, magnitudine sextuplò ferè auctus.

TABULA 45.

CYPERUS RADICOSUS.

Cyperus culmo triquetro nudo, umbellâ foliosâ, spiculis lanceolatis, foliis patentissimis rigidis recurvis.

In arenosis ad fluvium Ryndacum prope *Sousougherli*, quà via a Smyrnâ ad Bursam ducit; etiam in insulis Græciæ sed rariùs. ♃.

Radix repens, perpendicularis, subtuberosa, aromatica, radiculis villosis. *Culmi* solitarii, erecti, spithamæi, nudi, triquetri, læves. *Folia* radicalia, vaginantia, patentissima, arcuato-deflexa, rigida, longitudine culmi, linearia, acuta, carinata, margine scabriuscula. *Umbella* decomposita, quandoque supradecomposita, pedunculis obsoletè triquetris, glabris, apice flexuosis, basi spathaceis. *Involucrum* subtriphyllum, foliaceum, patentissimum, foliolis margine asperis, umbellâ duplò vel triplò longioribus. *Spiculæ* lanceolatæ, acutæ, semunciales, lineam ferè latæ, 10-aut 12-floræ, spadiceo-rufæ. *Glumæ* acutiusculæ, carinatæ, carinâ nervosâ, viridi, margine tenui, albido. *Antheræ* lutescentes, filamentis longiores. *Stigmata* tria, elongata, filiformia, glabra. *Semen* obovato-triquetrum.

A, *A*. Spiculæ triplò auctæ.
B. Flosculus seorsìm longè magis auctus.

TABULA 46.

CYPERUS DIFFORMIS.

Cyperus digynus, culmo triquetro nudo, umbellâ foliosâ, spiculis linearibus arcuatis, glumis ventricosis retusis.



Cyperus radicosus



Cyperus difformis



Cyperus flavescens.

C. difformis. *Linn. Sp. Pl.* 67. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 280.
C. ligularis. *Rottb. Gram.* 36. *t.* 9. *f.* 2.

Prope Patras. *Sibth. in Herb. Banks.* ♃?

Radix fibrosa, fortè perennis. *Culmi* cæspitosi, erecti, pedales et ultra, simplices, triquetri, læves, basi foliosi. *Folia* vaginantia, longitudine ferè culmi, erecta, linearia, acuta, carinata, undique lævia, apice laxè reflexa. *Umbella* terminalis, erecta, decomposita. *Involucrum* diphyllum, vel subtriphyllum, foliaceum, patentissimum; foliolis duobus longissimis, margine scabriusculis; tertio vix umbellâ longiore. *Spiculæ* numerosissimæ, parvæ, capitatæ, capitulis sessilibus vel pedunculatis, subglobosis, lineares, arcuato-adscendentes, obtusiusculæ, multifloræ, fusco-virescentes. *Glumæ* ventricosæ, carinatæ, binerves, retusæ cum mucronulo, extùs subrutilantes, margine æquali, integerrimo, pallido. *Stamina* parùm exserta. *Stylus* staminibus brevior. *Stigmata* duo, elongata, patentia, capillaria, glabra. *Semen* exiguum, triquetro-subrotundum.

a, *A*. Spiculam exhibent, magnitudine naturali et auctâ. *c*, *C*. Semen.
B. Flosculus, cum antheris et stigmatibus.

TABULA 47.

CYPERUS FLAVESCENS.

Cyperus digynus, culmo triquetro nudo, umbellâ triphyllâ, spiculis lanceolatis, seminibus obtusè triquetris sublenticularibus.
C. flavescens. *Linn. Sp. Pl.* 68. *Scop. Carn.* 41. *Desfont. Atlant. v.* 1. 46.
C. minimus, paniculâ sparsâ subflavescente. *Tourn. Inst.* 527.

In paludosis Asiæ minoris inter Smyrnam et Bursam. Etiam circa Byzantium, et in monte Athone. ♃.

Radix fibrosa, cæspitosa. *Culmi* plurimi, erecti, spithamæi aut subpedales, simplices, triquetri, glaberrimi, basi foliosi. *Folia* erecto-patentia, culmo breviora, linearia, carinata, lævia. *Umbella* terminalis, subdecomposita. *Involucrum* triphyllum, patens, umbellam longè superans, foliolis margine scabris. *Spiculæ* divaricato-patentes, haud unciales, lanceolatæ, obtusiusculæ, luteo-virentes, nitidæ. *Glumæ* ovatæ, compressiusculæ, obtusiusculæ, vix mucronulatæ, carinâ trinervi, margine dilatato, lævissimo, scarioso, enervi. *Filamenta* complanata, glumis parùm longiora. *Antheræ* breves. *Stylus* longitudine staminum. *Stigmata* duo, filiformia, glabra. *Semen* obtusè triquetrum, sæpiùs quasi lenticulare, rufescens, punctulato-scabrum.

A. Spicula quadruplò aucta. *b*, *B*. Flosculus.

TABULA 48.

CYPERUS FUSCUS.

Cyperus trigynus, culmo triquetro nudo, umbellâ triphyllâ, spiculis linearibus, glumis lævibus, seminibus nitidis.

C. fuscus. *Linn. Sp. Pl.* 69. *Scop. Carn.* 41. *Fl. Dan. t.* 179. *Desfont. Atlant. v.* 1. 47. *Leers. Herborn.* 9. *t.* 1. *f.* 2.

C. minimus, paniculâ sparsâ nigricante. *Tourn. Inst.* 527.

C. longus minimus pulcher, paniculâ compressâ nigricante. *Moris. Hist. sect.* 8. *t.* 11. *f.* 38.

In depressis humidis frequens, inter Smyrnam et Bursam, et circa Byzantium. ♃.

Radix fibrosa, cæspitosa. *Culmi* plurimi, divaricato-patentes, et subinde prostrati, spithamæi, quandoque pedales, simplices, triquetri, glabri, basi foliosi. *Folia* patentia, culmis duplò breviora, lanceolata, acuta, plana, læviuscula. *Umbella* terminalis, decomposita. *Involucrum* triphyllum, foliaceum, patentissimum, scabriusculum. *Spiculæ* patentes, duplò quàm in præcedente minores, lineares, vel lineari-lanceolatæ, obtusiusculæ, atro-fuscæ, nitidæ. *Glumæ* ovatæ, compressæ, mucronulatæ, carinâ viridi, obsoletè trinervi, margine dilatato, lævissimo, atro-sanguineo, enervi. *Stamina* ut in priore. *Stylus* longitudine staminum. *Stigmata* tria, filiformia, glabra. *Semen* elongatum, acutè triquetrum, lateribus excavatis, album, nitidum, læve, utrinque acutum.

A. Spicula aucta. *b, B.* Flosculus. *C.* Semen.

TABULA 49.

CYPERUS MUCRONATUS.

Cyperus digynus, culmo vaginato triquetro erecto, spiculis lateralibus subternis sessilibus, involucro monophyllo brevissimo.

C. mucronatus. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 273. *Rottb. Gram.* 19. *t.* 8. *f.* 4. *Vahl. Symb. v.* 1. 7.

C. lateralis. *Forsk. Descr.* 13. *Vahl. loc. cit.*

C. distachyos. *Allion. Auct.* 48. *t.* 2. *f.* 5. anne *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 272?

C. junciformis. *Cavan. Ic. t.* 204. *f.* 1. *Desfont. Atlant. v.* 1. 42. *t.* 7. *f.* 1.

In palustribus limosis, Byzantii et Corinthi. *Sibth. in Herb. Banks.* ☉.



Cyperus fuscus.



Cyperus mucronatus.



Scirpus dichotomus

Radix fibrosa, cæspitosa. *Culmi* plurimi, pedales, erecti, stricti, simplicissimi, triquetri, glaberrimi, apice mucronati, basi vaginati ac monophylli. *Vaginæ* cylindraceæ, retusæ, muticæ, striatæ. *Folia* solitaria, culmis breviora, erecta, triquetra, mucronata, lævia, basi vaginantia. *Spiculæ* laterales, ternæ, quaternæ, aut plures, sessiles, congestæ, adscendentes, lanceolatæ, obtusiusculæ, compressiusculæ, atro-fuscæ. *Involucrum* monophyllum, lineare, spiculis duplò brevius. *Glumæ* concavæ, ovatæ, læves, enerves, obtusæ, mucronulatæ, carinâ sulcatâ, virente. *Stamina* parùm exserta. *Stigmata* duo, filiformia, glabra. *Semen* lenticulare, pallidè fuscum, læve.

A. Spicula duplò aucta. *C.* Pistillum seorsim.
B. Flosculus sextuplò ferè auctus. *d, D.* Semen.

SCIRPUS.

Linn. G. Pl. 30. *Juss.* 27. *Gærtn. t.* 2.

Glumæ paleaceæ, undique imbricatæ. *Cor.* nulla. *Semen* unicum.

TABULA 50.

SCIRPUS DICHOTOMUS.

Scirpus monandrus, digynus, culmo triquetro nudo, umbellâ decompositâ dichotomâ, spicis ovatis, seminibus sulcatis.

S. dichotomus. *Linn. Sp. Pl.* 74. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 303. *Rottb. Gram.* 57. *t.* 13. *f.* 1.

In arenosis maritimis Thraciæ ad Pontum Euxinum propè *Fanar* et Cyaneas insulas. ⊙.

Radix fibrosa. *Culmi* plurimi, cæspitosi, divaricati, longitudine varii, plerumque spithamæi, simplicissimi, triquetri, striati, scabriusculi, basi foliosi. *Folia* vaginantia, erecto-patentia, culmis breviora, linearia, acuta, striata, margine spinulosa; vaginis extùs pubescentibus. *Umbella* terminalis, supradecomposita, dichotoma, patula, pedunculis angulatis, lævibus. *Involucrum* polyphyllum, foliaceum, patens, foliolis longitudine variis; *involucella* polyphylla, breviora, margine asperiora. *Spiculæ* vel terminales pedicellatæ, vel axillares sessiles, solitariæ, erectæ, ovatæ, multifloræ. *Glumæ* undique imbricatæ, eretcæ, ovatæ, scariosæ, læves, enerves, integerrimæ,

fuscæ, mucronatæ, nervo prominente, viridi. *Stamen* unicum, rariùs duo, longitudine glumarum. *Anthera* subsagittata, lutea. *Germen* obovatum. *Stylus* longitudine staminis. *Stigmata* duo, villosa. *Semen* obovatum, gibbum, albidum, longitudinalitèr sulcatum, sulcis crenatis.

Cum *Scirpo autumnali*, ex Americâ, convenit formâ et magnitudine; differt tamen spiculis solitariis nec glomeratis, magìs ovatis, minùsque ferrugineis, stigmatibus binis nec ternis, seminibus pulcherrimè sulcatis, nec læviusculis.

A. Spiculæ auctæ.	*C.* Flosculus.
B. Foliolum involucelli.	*d, D.* Semen.



Cornucopiæ cucullatum

TRIANDRIA DIGYNIA.

CORNUCOPIA.

Linn. G. Pl. 31. *Juss.* 33.

Involucrum monophyllum, infundibuliforme, crenatum, multiflorum. *Calyx* bivalvis, uniflorus. *Corolla* univalvis.

TABULA 51.

CORNUCOPIA CUCULLATA.

Cornucopiæ cucullatum. *Linn. Sp. Pl.* 79. *Ait. Hort. Kew. v.* 3. 483. *Smith. Spicil. t.* 14. *Hasselquist. It.* 452. *Voyage,* 242.

Gramen orientale vernum, in udis proveniens, capitulo reflexo, Sherardi. *Scheuchz. Agr.* 117. *t.* 3. *f.* 1.

In insulâ Patmo. ☉.

Radix fibrosa, cæspitosa, annua. *Culmi* plurimi, patuli, ramosi, geniculati, foliosi, teretes, glabri, striati, geniculis atropurpureis. *Folia* vaginantia, alterna, patentia, lanceolata, acuta, glabra, striata, margine scabra; vagina ventricosa, striata, internodiis brevior. *Stipula* vaginam coronans, brevis, obtusa, integra. *Involucra* e vaginis foliorum supremorum, terna aut quaterna, conferta, tubulosa, teretia, gracilia, retrorsùm scabra, rigida, arcuata, demùm in spiram contorta, purpurascentia, apice ampliata, poculiformia, crenato-incisa, multiflora, persistentia. *Flores* fasciculati, involucrum parùm excedentes, pedicellati, lanceolati, retusi, mutici, virides, apice purpurascentes. *Glumæ* calycinæ æquales, compressæ, nervosæ, carinâ ciliatæ; corollina calycinis omninò similis, sed monophylla. *Stamina* exserta. *Filamenta* capillaria, alba. *Antheræ* pendulæ, flavæ, lineares, utrinque bilobæ. *Styli* staminibus duplò breviores, basi plùs minùs connati. *Stigmata* linearia, acuta, plumosa. *Semen* obovatum, acutum, hinc gibbosum, illinc excavatum, læve.

Dempto involucro Alopecurus est.

Gramen hocce pulcherrimum et maximè singulare apud Smyrnam primus legit celeber-

rimus Gulielmus Sherard, cujus ope in hortum Chelseanum illatum est, ubi in hunc diem viget. De ejus in solo natali inventu admodum soliciti fuerunt Hasselquist et Sibthorp, neque alterutrum spes fefellit.

Alterâ specie ad *Alopecurum utriculatum, tab.* 63, relatâ, differentia specifica supervacanea est.

a. Involucrum.
b. Idem floribus repletum.
c, C. Flos seorsìm, cum staminibus et stylis.
D. Pistillum.
e. Apex culmi, involucris et glumis persistentibus onustus, semina matura foventibus.
f. Glumæ clausæ.
g, G, G. Semen.

SACCHARUM.

Linn. G. Pl. 32. *Juss.* 30. *Gærtn. t.* 82.

Calyx bivalvis, uniflorus, extùs lanugine longâ cinctus.
Cor. bivalvis, aut nulla.

TABULA 52.

SACCHARUM RAVENNÆ.

Saccharum paniculâ laxâ, pedicellis lanatis, calyce supernè denudato, corollâ aristatâ.

S. Ravennæ. *Linn. Syst. Veg. ed.* 13. 88. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 322. *Desfont. Atlant. v.* 1. 53.

Andropogon Ravennæ. *Linn. Sp. Pl.* 1481. *Mant.* 2. 500.

Gramen paniculatum arundinaceum ramosum, paniculâ densâ sericeâ. *Tourn. Inst.* 523.

G. arundinaceum plumosum album. *Bauh. Prodr.* 14. *Scheuchz. Agr.* 136. *t.* 3. *f.* 7. A,B.

Καλαμος συριγγιας. *Diosc. Sibth.*

Σαμάκι *hodiè.*

In Peloponneso copiosè. Ad littora Ponti Euxini propè *Fanar.* ♃.

Radix perennis. *Culmus* quadripedalis, erectus, simplex, foliosus, teres, glaber, minutè striatus, subindè purpurascens, intùs medullâ albâ farctus. *Folia* alterna, vaginantia, lineari-lanceolata, acuminata, longissima, patentia, nervosa, utrinque scabra, basi, ad stipulam, densè villosa, atque punctato-tuberculosa. *Vaginæ* inferiores extùs villosæ. *Panicula* terminalis, erecta, ampla, ramosissima, laxa, ramulis



Saccharum Ravenna



Saccharum Teneriffæ.

angulatis, glabris, pedicellis sericeo-lanatis. *Flores* erecti, alterni. *Calyx* uniflorus; glumæ lanceolatæ, acuminatæ, extùs, ad basin præcipuè, villis albis, sericeis, simplicibus, propriæ longitudinis, vestitæ. *Corolla* bivalvis, calyci opposita; gluma interior lanceolata, acuminata, longitudine calycis; exterior ovata, brevior, aristâ terminali, rectiusculâ, scabrâ, calyce duplò ferè longiori. *Filamenta* tria, capillaria. *Antheræ* exsertæ, nutantes, oblongæ, utrinque bilobæ, flavæ. *Germen* ellipticum. *Styli* staminibus duplò breviores. *Stigmata* plumosa, violacea. *Semen* nudum, liberum, flavescens.

a. Flos expansus, cum staminibus et pistillo in situ naturali.

B. Idem triplò auctus.

TABULA 53.

SACCHARUM TENERIFFÆ.

Saccharum paniculâ patente flexuosâ, pedicellis glabris, calyce ovato undique piloso, corollâ subaristatâ.

S. Teneriffæ. *Linn. Suppl.* 106. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 320.

In montibus propè Messinam, Siciliæ, nec in Græciâ, legit Sibthorp. ♃.

Radix repens, lignosa, multiceps, glabra, fibris longissimis, simplicibus, crassis, tenacissimis. *Culmi* erecti, pedales, simplices, foliosi, teretes, lævissimi, basi subinde arcuato-decumbentes. *Folia* vaginantia, patentia, lineari-lanceolata, acuminata, involuta, rigidiuscula; suprà pubescentia; subtùs striata, ecarinata, sæpiùs glabra. *Stipulæ* multisetosæ. *Vaginæ* striatæ, parùm ventricosæ. *Panicula* terminalis, bi- aut tri-uncialis, erecta, ramosa, flexuosa, patens, frequentiùs purpurascens; pedunculi et pedicelli glabri. *Calyx* ovatus, acutus, albidus aut purpureus, pilis sericeis, albis, ipso calyce duplò longioribus, undique vestitus, uniflorus. *Corolla* bivalvis, calyci opposita; glumâ alterâ longitudine calycis, muticâ; alterâ triplò ferè breviori, retusâ, apice aristatâ, aristâ rectâ, calycem paululùm excedente. *Nectarium*? monophyllum, lanceolatum, corollâ brevius. *Filamenta* tria, capillaria. *Antheræ* fulvæ, exsertæ, lineares, versatiles, utrinque bilobæ. *Germen* ellipticum, nitidissimum. *Styli* brevissimi. *Stigmata* plumosa, lutescentia.

Exemplaria Linnæana in Supplemento descripta vix discrepant, nisi corollâ muticâ.

A. Flos magnitudine auctus.

B. Germen cum stylis.

TABULA 54.

SACCHARUM CYLINDRICUM.

Saccharum paniculâ spicatâ cylindraceâ, pedicellis glabris, calyce lanceolato undique piloso, corollâ muticâ.

S. cylindricum. *Lamarck. Encycl. v.* 1. 594. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 323. *Desfont. Atlant. v.* 1. 54.

Lagurus cylindricus. *Linn. Sp. Pl.* 120.

Gramen tomentosum spicatum. *Tourn. Inst.* 518.

G. tomentosum creticum spicatum, spicâ purpureâ. *Scheuchz. Agr.* 57. *Tourn. Cor.* 39.

G. pratense alopecurum, sericeâ paniculâ. *Barrel. Ic. t.* 11.

In udis circa Athenas, et in agro Eliensi. ♃.

Radix . . . *Culmi* cæspitosi, erecti, stricti, bi- seu tri-pedales, simplices, foliosi, teretes, glabri. *Folia* vaginantia, stricta, linearia, acuminata, canaliculata, obtusè carinata, margine scabriuscula, exsiccatione involuta. *Vaginæ* longissimæ, strictæ. *Stipulæ* multisetosæ. *Panicula* terminalis, erecta, stricta, cylindracea, obtusa, densa, multiflora, sericeo-alba, nitida, lobata. *Pedunculi* et *pedicelli* breves, glabri. *Calyx* lanceolatus, pilis longis, sericeis, undique vestitus. *Glumæ corollinæ* calyce parùm breviores, subæquales, oblongæ, membranaceæ, albæ, muticæ. *Stamina* duo (tria ex errore, ut videtur, depinxit Bauer) capillaria. *Antheræ* oblongæ, sagittatæ, fulvæ. *Germen* ellipticum, nitidum. *Styli* brevissimi. *Stigmata* gracilia, plumosa, alba. *Semen* oblongum, hinc gibbum, nudum, læve.

a. Paniculæ ramus. *B.* Flos auctus. c, *C.* Semen.

PHALARIS.

Linn. G. Pl. 32. *Juss.* 29. *Gærtn. t.* 80.

Calyx bivalvis, carinatus, longitudine æqualis, uniflorus, corollam includens.

TABULA 55.

PHALARIS CANARIENSIS.

Phalaris paniculâ ovatâ spiciformi, glumis calycinis navicularibus, corollâ quadrivalvi, radice fibrosâ.



Saccharum cylindricum



Phalaris canariensis



Phalaris nodosa

Ph. canariensis. *Linn. Sp. Pl.* 79. *Fl. Brit.* 62. *Engl. Bot. v.* 19. 1310. *Schreb. Gram.* 83. *t.* 10. *f.* 2. *Leers. Herborn.* 18. *t.* 7. *f.* 3 +. *Desfont. Atlant. v.* 1. 55.

Ph. major, semine albo. *Bauh. Pin.* 28. *Scheuchz. Agrost.* 52. *Moris. Hist. sect.* 8. *t.* 3. *f.* 1.

Gramen spicatum, semine miliaceo albo. *Tourn. Inst.* 518.

Φαλαρις *Dioscoridis.*

Κεκέλοχορτον *hodiè.*

Κεκέλη *Zacynthiorum.*

In arvis Græciæ frequens. ☉.

Radix annua, fibrosa, albida. *Culmi* plures, erecti, sesquipedales aut bipedales, geniculati, foliosi, teretes, striati, glabri, geniculis fuscescentibus. *Folia* vaginantia, patentia, lanceolata, acuta, molliuscula, subtùs scabriuscula; vaginis plùs minùs inflatis, nervosis, asperiusculis, apice constrictis. *Stipula* obtusa, sæpiùs lacera. *Panicula* terminalis, erecta, uncialis, ovata, ramosa, densa, omninò spiciformis, multiflora. *Pedicelli* hispidiusculi. *Calyx* corollam includens, obovatus, compressus, albidus, viridi vittatus, subindè pilosus, glumis navicularibus, latè carinatis, carinâ minutè ac brevissimè ciliatâ, sæpiùs integrâ, quandoque, ut in icone videri est, unidentatâ. *Corolla* exterior e glumis duabus minutis, calyci oppositis, et basi ejus omninò celatis, lanceolatis, carinatis, dorso glabratis; interior duplò longior, at calyce duplò ferè brevior, bivalvis, valvulâ exteriori ovatâ, compressâ, sericeo-villosâ, alteram interiorem, glabram, parùm breviorem, arctè amplectente. *Stamina* exserta, capillaria. *Antheræ* luteæ, oblongæ, bilobæ. *Styli* glabri. *Stigmata* cylindracea, plumosa, alba. *Semen* ovatum, compressum, nitidum, plerumque albidum.

a, A. Florem sistit, cum valvis calycinis arte aliquantulùm expansis.

TABULA 56.

PHALARIS NODOSA.

Phalaris paniculâ lanceolatâ spiciformi, glumis calycinis navicularibus, corollâ trivalvi, culmis basi bulbosis.

Ph. nodosa. *Linn. Syst. Veg. ed.* 13. 88. *ed.* 14. 104. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 327.

Ph. tuberosa. *Linn. Mant.* 2. 557.

Ph. bulbosa. *Cavan. Ic. v.* 1. 46. *t.* 64.

Ph. bulbosa, albo semine. *Scheuchz. Agr.* 53. *t.* 2. *f.* 3. F.

Ph. perennis minor radice nodosâ. *Moris. Hist. v.* 3. 187.

Ad agrorum margines in insulis Græciæ. ♃.

Radix perennis, fibrosa, fibris villosis. *Culmi* plurimi, pedales aut sesquipedales, adscendentes, foliosi, teretes, glabri, striati, geniculati; basi decumbentes, crebriùs articulati, atque bulbosi, bulbis vaginis foliorum persistentibus tectis. *Folia* patentia, linearia, plana, acuta, margine præcipuè scabriuscula; vaginis strictis. *Stipula* oblonga, obtusiuscula, tenuissima. *Panicula* lanceolato-oblonga, uncialis vel sesquiuncialis, densa, multiflora. *Pedicelli* basi hispidi, apice glabrati. *Calyx* ovatus, compressus, albus, viridi vittatus, glaber, glumis navicularibus, carinâ integrâ, scabriusculâ. *Corolla* exterior e glumâ solitariâ, lanceolatâ, erectâ, villosâ; interior longior, et calyci ferè æqualis, bivalvis, valvulâ exteriore ovatâ, acutâ, compressâ, sericeo-villosâ, alteram interiorem, minorem, glabram, nitidissimam, arctè amplectente. *Stamina* et *styli* ferè prioris. *Semen* parvum, nitidum, albidum.

a, *A*. Florem sistit cum calyce arte expanso, unde flosculus in conspectum venit. Notandum est quod valvula solitaria lanceolata corollæ exterioris proportione nimis amplâ, respectu partium reliquarum, delineata est.

TABULA 57.

PHALARIS AQUATICA.

Phalaris paniculâ cylindraceâ spiciformi, glumis calycinis navicularibus, corollâ trivalvi, radice nodosâ repente.

Ph. aquatica. *Linn. Sp. Pl.* 79. *Soland. in Ait. Hort. Kew. v.* 1. 86. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 326. *Desfont. Atlant. v.* 1. 56.

Ph. perennis major, radice nodosâ. *Moris. Hist. v.* 3. 187.

Gramen spicatum perenne, semine miliaceo, tuberosâ radice. *Tourn. Inst.* 519.

G. typhinum phalaroides majus bulbosum aquaticum. *Barrel. Ic. t.* 700. *f.* 1.

In aquosis Asiæ minoris. ♃.

Radix perennis, repens, ramosa, nodoso-articulata, fibris villosis. *Culmi* erecti, stricti, quadri- aut quinque-pedales, foliosi, teretes, glabri, basi geniculati. *Folia* lanceolata, acuta, arundinacea, subglauca, utrinque scabra, vaginis elongatis, strictis. *Stipula* oblonga, obtusa, frequentiùs lacera. *Panicula* cylindracea, obtusiuscula, 3—5-uncialis, densa, lobata, pedicellis basi hispidiusculis. *Calyx* ovato-lanceolatus, acutus, compressus, albo viridique varius, glaber, glumis navicularibus, carinâ sursùm dilatatâ, subindè denticulatâ. *Corolla* exterior e glumâ solitariâ, exiguâ, calyce tectâ, lanceolatâ, adpressâ, villosâ: interior calyce dimidio ferè brevior, bivalvis; valvulâ exteriore ovatâ, compressâ, sericeo-villosâ, basin versùs utrinque glabratâ et quasi detritâ; interiore parùm minore, extùs sericeo-villosâ, margine attenuatâ et glabratâ. *Stamina* et *styli* præcedentium. *Semen* parvum.



Phalaris aquatica



Phalaris paradoxa

Huic vix congruit *Phalaris minor* Retzii, *Obs. Bot. pars* 3. 8, cui radicem annuam et fibrosam tribuit celeberrimus iste auctor, cujusque descriptio ad *Phalaridem bulbosam* Herb. Linn., radice bulbosâ proculdubiò destitutam, spectare videtur.

a. Paniculæ ramulus.
B. Flos magnitudine auctus.
C. Idem, calyce arte expanso.
D, D. Corolla interior.
E. Germen cum stylis.

TABULA 58.

PHALARIS PARADOXA.

PHALARIS paniculâ cylindraceâ obtusâ spiciformi, glumis calycinis unidentatis aristatis, floribus inferioribus præmorsis abortivis.

Ph. paradoxa. *Linn. Sp. Pl.* 1665. *Soland. in Ait. Hort. Kew. v.* 1. 86. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 329. *Linn. fil. Dec.* 2. 35. *t.* 18. *Schreb. Gram.* 93. *t.* 12. *Desfont. Atlant. v.* 1. 56.

Gramen phalaroides lusitanicum. *Moris. Hist. sect.* 8. *t.* 3. *f.* 6.

G. phalaroides, spicâ brevi reclinatâ, ex utriculis prodeunte. *Pluk. Phyt. t.* 33. *f.* 5.

G. spicatum perenne, semine miliaceo, radice repente. *Tourn. Inst.* 519. Ex auctoritate Cel. Desfontaines, at charactere minùs congruit.

Αληπȣνȣ́ρα *hodiè.*

In arvis Græciæ cum *Ph. canariensi* frequens. ⊙.

Radix annua, fibrosa, cæspitosa, fibris tomentosis. *Culmi* plurimi, pedales, adscendentes, foliosi, geniculati, scabriusculi, "ante anthesin decumbentes," *Linn. Folia* linearia, acuta, glabra, læviuscula; vaginis inferioribus strictis; summâ dilatatâ, ventricosâ, paniculæ basin amplectente. *Stipula* oblonga, lacera. *Panicula* plerumque biuncialis, cylindracea, obtusa, densa, ramosissima, pedicellis basi barbatis. *Calyx* obovato-lanceolatus, scabriusculus, aristatus, apicem versùs dilatato-carinatus, unidentatus, quandoque bidentatus. *Aristæ* terminales, rectæ, scabræ, longitudine variæ. *Corolla* calyce duplò brevior, bivalvis, nitida, glabra, valvulis ovatis, compressis, muticis, inæqualibus. *Antheræ,* ut et *stigmata,* breviores quam in præcedentibus. *Semen* exiguum. *Flores* inferiores plerumque quasi truncati, et prorsùs abortivi sunt, unde paniculæ basis ab insectis erosa apparet; sed altero anno sata flores omnes fertiles et perfectos tulit, monente Linnæo in manuscriptis.

A *Phalaride utriculatâ* Linnæi toto cœlo diversa; confer *Tab.* 63.

a. Portio infima paniculæ.
B. Flos cum pedunculo proprio, glumis arte divaricatis.
C. Flores abortivi e basi paniculæ.

PANICUM.

Linn. G. Pl. 32. *Juss.* 29. *Gærtn. t.* 1.

Digitaria. *Juss.* 29.

Calyx trivalvis, uniflorus; valvulâ tertiâ minimâ. *Semen* corollâ persistente, cartilagineâ, corticatum.

TABULA 59.

PANICUM ERUCIFORME.

Panicum spicis alternis sessilibus secundis pilosis, valvulâ calycinâ tertiâ exiguâ acutiusculâ, culmo ramoso.

In arvis circa Junonis templum in insulâ Samo. ♃.

Radix fibrosa, perennis ex facie mihi videtur. *Culmi* plures, pedales aut sesquipedales, foliosi, geniculati, pilosi, basi ramosi, geniculis inferioribus radicantibus. *Folia* vaginantia, alterna, patentissima, lanceolata, acuminata, subpungentia, nervosa, utrinque pilosa, margine scabra. *Vaginæ* pilosæ, parum inflatæ, vix longitudine foliorum. *Stipula* multisetosa. *Racemus* terminalis, erectus, strictus, e spicis sex vel octo alternis, erectis, secundis, adpressis, pilosis, vix uncialibus, multifloris, pallidè virentibus, compositus. *Rachis* generalis et partiales angulato-compressæ, sulcatæ, subflexuosæ, pilis adscendentibus hispidæ, parùm dilatatæ. *Flores* secundi, duplici serie imbricati, ovati. *Calyx* undique pilosus, nervosus; valvulis duabus interioribus ellipticis, concavis, muticis, subæqualibus; exteriore minutissimâ, cordatâ, acutiusculâ, quandoque obsoletâ. *Corolla* univalvis, calyce minor. *Stamina* capillaria, exserta. *Antheræ* breves, utrinque bilobæ, lobis divaricatis. *Germen* ellipticum, nitidissimum, hinc convexum, illinc concavum. *Stigmata* sessilia, plumosa, fulva. *Semen* ellipticum, hinc excavatum.

Panico brizoidi proxima species, distincta tamen culmo ramoso, herbâ pilosâ, foliis brevioribus et rigidioribus, calyce minùs ventricoso, valvulâ tertiâ longè minori. A *P. fluitante, Willden. Sp. Pl. v.* 1. 338, differt pilositate, facie, gracilitate, rachi non dilatatâ, minùsque flexuosâ, valvulâ tertiâ calycinâ minori et vix retusâ.

A, A. Spica magnitudine aucta. c, *C.* Semen.
b, B. Flos seorsim, calyce expanso.



Panicum eruciforme



Panicum Dactylon.



Panicum repens.

TABULA 60.

PANICUM DACTYLON.

Panicum spicis digitatis basi interiore villosis, floribus solitariis, glumis calycinis æqualibus, sarmentis repentibus.

P. Dactylon. *Linn. Sp. Pl.* 85. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 342. *Fl. Brit.* 67. *Engl. Bot. v.* 12. *t.* 850.

Digitaria n. 1527. *Hall. Hist. v.* 2. 244.

Gramen dactylon, radice repente, sive officinarum. *Tourn. Inst.* 520. *Scheuchz. Agr.* 104. *t.* 2. *f.* 11, I.

G. dactylon, folio arundinaceo, majus et minus. *Bauh. Theatr.* 111—113. *Moris. Hist. sect.* 8. *t.* 3. *f.* 4.

G. legitimum. *Clus. Hist. v.* 2. 217.

Nejem el salib. *Alpin. Pl. Ægypt.* 121. *ic.* 122.

Αγρωςις *Diosc.*

Αγριάδα *hodiè.*

In arenosis Græciæ vulgaris. ♃.

Radix perennis, sublignosa, rigida, geniculata, longè latèque repens, ramosissima, glabra, radiculis lævibus, sarmenta exserens longissima, prostrata, foliorum vaginis vestita. *Culmi* adscendentes, geniculati, simplices, foliosi, striati, glabri, longitudine varii. *Folia* linearia, acuta, subpungentia, patentia, hirta, siccitate involuta, dorso scabra; vaginis striatis, glabris. *Stipula* setosa. *Spicæ* plerumque quinæ, umbellatæ, erecto-patentes, ferè biunciales, purpurascentes, lineares, multifloræ, basi interiore vix manifestè pilosæ. *Rachis* flexuosa, triquetra, scabriuscula, haud alata. *Flores* imbricato-secundi, alterni. *Calyx* e glumis binis, lanceolatis, magnitudine æqualibus, membranaceis, carinatis, dorso scabris. *Corolla* ovata, nitida, sæpiùs colorata, calyci opposita, nec, ut mihi quondam visum est, contraria; cujus gluma exterior latissima, carinata, compressa, dorso scabra, apice mucronulata; interior magnitudine et forma calycis. *Antheræ* et *stigmata* purpureæ. *Semen* minutum.

A, A. Portio spicæ magnitudine aucta, cum rachi. *b, B.* Flos.

TABULA 61.

PANICUM REPENS.

Panicum paniculâ virgatâ, foliis divaricatis, radice repente.

P. repens. *Linn. Sp. Pl.* 87. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 347. *Cavan. Ic. v.* 2. 6. *t.* 110. *Desfont. Atlant. v.* 1. 60.

Milium angustifolium, paniculâ peramplâ sparsâ et erectâ. *Tourn. Cor.* 39. Ex Desfont.

Ad ripas fluvii prope Plataniam in insulâ Cretâ, Junio florens. ♃.

Radix proculdubiò perennis, repens, geniculata, nodosa, ramosa, glabra, radiculis pubescentibus. *Culmi* pedales vel sesquipedales, erectiusculi, simplices, foliosi, multinodes, glabri. *Folia* lanceolata, acuta, plana, rigidula, longiùs vaginata; dorso lævia; margine scabra atque pilosa: inferiora breviora, divaricato-reflexa. *Panicula* erecta, ramosissima, coarctata; ramulis flexuosis, triquetris, scabris, ferè capillaribus. *Flores* solitarii, pedicellati, erecti, ovati, glabri. *Calyx* trivalvis, ventricosus, sulcatus; valvulâ exteriore minimâ. *Corolla* calyce minor, inclusa, valvulis concavis, muticis, interiore tenuissimâ. *Antheræ* fulvæ. *Stigmata* purpurea. *Semen* latè ellipticum, hinc excavatum.

A *Panico colorato, Linn. Mant.* 30. *Jacq. Ic. Rar. v.* 1. *t.* 12, cui floribus simillimum, differt paniculâ coarctatâ minùs capillari, tum radice reptanti nec fibrosâ.

a, A. Flos. *B.* Pistillum. *c, C.* Semen.

PHLEUM.

Linn. G. Pl. 33. *Juss.* 29. *Gærtn. t.* 1.

Calyx bivalvis, truncatus, acuminatus, uniflorus, corollam includens.

TABULA 62.

PHLEUM CRINITUM.

Phleum paniculâ spicatâ, glumis linearibus hispidis aristatis basi subventricosis, aristis capillaceis longissimis.

Ph. crinitum. *Schreb. Gram.* 151. *t.* 20. *f.* 3. *Fl. Brit.* 71.

Agrostis panicea. *Soland. in Ait. Hort. Kew. v.* 1. 94. *Engl. Bot. v.* 24. *t.* 1704. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 363.

A. triaristata. *Knapp. Gram. Brit. t.* 23.

Polypogon monspeliense. *Desfont. Atlant. v.* 1. 67.



Phleum crinitum



Alopecurus atriculatus

Alopecurus aristatus. *Huds. Angl.* 28.
A. monspeliensis et paniceus. *Linn. Sp. Pl.* 89, 90.
A. maxima anglica paludosa. *Moris. Hist. sect.* 8. *t.* 4. *ord.* 2. *f.* 3.
Panicum maritimum, spicâ longiore villosâ. *Tourn. Inst.* 515.
Gramen alopecurum majus, spicâ virescente divulsâ, pilis longioribus. *Scheuchz. Agr.* 155. *Barrel. Ic. t.* 115. *f.* 2.
G. alopecuroides anglo-britannicum maximum. *Bauh. Pin.* 4.

In udis circa Athenas. ☉.

Radix fibrosa, parva, annua, radiculis subvillosis. *Culmi* numerosi, adscendentes, geniculati, teretes, læves atque glaberrimi, foliosi. *Folia* patentia, linearia, acuta, plana, striata, margine dorsoque scabriuscula, vaginis longitudine ferè internodiorum culmi, striatis, glabris. *Stipula* oblonga, nervosa, lacera, extùs scabra. *Panicula* erecta, oblonga, spiciformis, densa, multiflora, supradecomposita, spiculis lobatis, secundis. *Pedicelli* capillares, scabriusculi, alterni. *Flores* erecti, parvi, albidi. *Glumæ calycinæ* æquales, lineari-lanceolatæ, compressæ, hispidæ, dorso virides, basi albidæ et paululùm ventricosæ, apice scariosæ, niveæ, retusæ, fimbriatæ. *Arista* e dorso singularum glumarum, solitaria, divaricata, capillaris, scabra, glumis quintuplò longior. *Corolla* ovata, lævis, membranacea, bivalvis; valvulâ exteriore majore, apicem versùs breviùs aristatâ, alteram imberbem amplectente. *Stamina* albida. *Stigmata* plumosa, nivea. *Semen* ovatum, fuscum, nitidum.

Gramen ad *Agrostidem*, ni fallor, reducendum.

a. Spiculæ portio. *b, B.* Semen.
A. Flos auctus, cum pedicello proprio.

ALOPECURUS.

Linn. G. Pl. 33. *Juss.* 29. *Gærtn. t.* 1.

Calyx bivalvis, uniflorus. *Corolla* univalvis. *Stigmata* capillaria, pubescentia.

TABULA 63.

ALOPECURUS UTRICULATUS.

Alopecurus spicâ oblongâ, glumis calycinis navicularibus gibbosis mucronulatis dorso villosis aristâ corollinâ brevioribus.

Phalaris utriculata. *Linn. Sp. Pl.* 80. *Mant.* 2. 322. *Soland. in Ait. Hort. Kew.* v. 1. 86. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 329. *Sm. Tour, v.* 2. 293, *ed.* 2. 310. *Dicks. Dr. Pl.* 3. *Scop. Del. Insubr. v.* 1. 28. *t.* 12.

Gramen spicatum pratense, spicâ ex utriculo prodeunte. *Tourn. Inst.* 519.

G. phalaroides, spicâ ex squamis duriusculis aristatis congestâ. *Mont. Prod.* 47. *f.* 46.

G. pratense, spicâ purpureâ ex utriculo prodeunte. *Bauh. Pin.* 3. *Theatr.* 44. *Scheuchz. Agr.* 55. *t.* 2. *f.* 3, B, D, G, H. *Moris. Hist. v.* 3. 192. *sect.* 8. *t.* 4. *f.* 19.

G. pratense. *Dalech. Hist.* 425. *f.* 3.

G. spicam folio amplectens. *Bauh. Hist. v.* 2. 469, cum icone 463 sub *cap.* 68: descriptione confusâ.

Αλητπανέρα *hodiè.*

In graminosis et ruderatis Græciæ. ⊙.

Radix annua, fibrosa. *Culmi* numerosi, pedales, adscendentes, geniculati, foliosi, glabri. *Folia* saturatè viridia, linearia, acuta, læviuscula; vaginis inferioribus parùm inflatis; supremâ maximâ, supernè dilatatâ, ventricosâ, nervosâ, sæpè purpurascente. *Stipula* brevis, obtusa. *Spica* solitaria, uncialis, ovato-oblonga, subsimplex, densa, multiflora, basi annulo cartilagineo, plùs minùs notabili, circumvallata. *Flores* pedicellati. *Calyx* ovatus, compressus, medio constrictus, glumis acutis, muticis, gibboso-carinatis, nervosis, dorso villosis. *Corolla* univalvis, ovato-oblonga, obtusiuscula, nervosa, glabra. *Arista* e basi corollæ, calyce duplò plerumque longior, scabra. *Stamina* capillaria, glumis triplò ferè longiora. *Antheræ* lineares, purpureæ. *Germen* ovatum. *Styli* capillares. *Stigmata* capillaria, pubescentia, parùm exserta. *Semen* parvum, glumis calycinis induratis, incrassatis, nitidis tectum.

Hujus varietas est *Cornucopia alopecuroides* Linnæi, cui annulus cartilagineus ad basin spicæ in involucrum urceolatum, prout in *Cornucopiâ* verâ accidit, dilatatus est. Confer *Act. Soc. Linn. v.* 7. 245. *t.* 12. *f.* 1.

a. Flos.

A. Idem magnitudine auctus, glumis calycinis ultrà quod naturæ est expansis.

TABULA 64.

ALOPECURUS ANGUSTIFOLIUS.

Alopecurus spicâ ovatâ, glumis retusis mucronulatis villosis aristâ duplò brevioribus, foliis radicalibus angustissimis.

Phleum Gerardi. *Sibth. MSS. nec Allionii.*

In montis Olympi Bithyni summitate. ♃.



Alopecurus angustifolius.



Milium lendigerum

Radix perennis, cæspitosa, radiculis elongatis, fuscis, subvillosis. *Culmi* numerosi, spithamæi, adscendentes, geniculati, foliosi, glabri. *Folia* saturatè viridia, linearia, acutiuscula: radicalia angustissima, canaliculata; subtùs lævia atque glaberrima; suprà sulcata, pubescentia: caulina latiora at brevissima, longissimè vaginata, vaginis striatis, glabris, sursùm inflatis. *Stipula* brevis, obtusa. *Spica* haud uncialis, ovata, densa, multiflora, basi annulo munita, ut in præcedente. *Flores* pedicellati. *Calyx* ovatus, compressus, purpurascens, undique villosus, glumis subretusis, breviùs mucronulatis, nervosis. *Corolla* univalvis, formâ omninò calycis at paulò minor, undique villosa. *Arista* e basi corollæ, subtortilis, glumis duplò longior, apice tantùm scabriuscula. *Stamina* longitudine glumarum. *Antheræ* oblongæ, luteæ. *Germen* ellipticum. *Styli* breves. *Stigmata* parùm exserta.

Phleum Gerardi Allionii, *Jacq. Ic. Rar. v.* 2. *t.* 301. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 355, quod, corollâ bivalvi quantumvis obstante, mihi nihilominùs *Alopecuri* species certo certiùs videtur, huic summoperè affine est. Differt tantùm radice tuberosâ, foliis omnibus latitudine æqualibus, planis, glaucescentibus, culmo supernè elongato, nudo, calyce longiùs acuminato, nequaquàm retuso, denique aristâ inclusâ, longitudine vix dimidii corollæ. *Alopecurus alpinus*, *Engl. Bot. v.* 16. *t.* 1126, discrepat glumis omnibus retusis apice muticis, aristâ corollinâ paululùm exsertâ, vaginisque foliorum caulinorum minùs inflatis. Ab utroque distinctus videtur *A. antarcticus* Vahlii, *Symb. v.* 2. 18.

a. Flos. *A.* Idem, glumis arte expansis, magnitudine auctus.

MILIUM.

Linn. G. Pl. 33. *Juss.* 29.

Calyx bivalvis, uniflorus, tumidus. *Semen* corollâ persistente, cartilagineâ, bivalvi, corticatum.

TABULA 65.

MILIUM LENDIGERUM.

Milium paniculâ coarctatâ subspicatâ, corollâ aristatâ fimbriatâ.

M. lendigerum. *Linn. Sp. Pl.* 91. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 359. *Fl. Brit.* 76. *Engl. Bot. v.* 16. *t.* 1107. *Schreb. Gram. v.* 2. 14. *t.* 23. *f.* 3. *Desfont. Atlant. v.* 1. 65.

Agrostis australis. *Linn. Mant.* 1. 30.

A. ventricosa. *Gouan. Hort.* 39. *t.* 1. *f.* 2.

A. rubra. *Huds. Angl. ed.* 1. 26.

Alopecurus ventricosus. *Huds. Angl. ed.* 2. 28.

Panicum serotinum arvense, spicâ pyramidatâ. *Tourn. Inst.* 515.

Gramen serotinum arvense, paniculâ contractâ pyramidali. *Scheuchz. Agr.* 148. *t.* 3. *f.* 11. C.

G. paniceum serotinum, spicâ laxâ pyramidali. *Moris. Hist. v.* 3. 189. *n.* 12. *Herb. Bobart.*

G. alopecuro accedens, ex culmi geniculis spicas cum petiolis longiusculis promens. *Pluk. Phyt. t.* 33. *f.* 6.

In Asiæ minoris arenosis maritimis. ☉.

Radix fibrosa, glabra. *Culmi* plures, subsimplices, pedales, erecti, geniculati, foliosi, læves. *Folia* lætè viridia, patentia, linearia, plana, acuta, utrinque scabra, vaginis elongatis, paululùm ventricosis. *Stipula* cylindracea, nervosa, lacera. *Panicula* erecta, palmaris, luteo-albida, lanceolata, coarctata, densa, multiflora, ramulis erectis, adpressis, subdivisis, scabris. *Flores* erecti, lanceolati, nitidi. *Calycis glumæ* parùm inæquales, lineari-lanceolatæ, acuminatæ, scariosæ, carinâ scabræ, basi demùm subventricosæ atque glabratæ. *Corolla* bivalvis, brevissima; valvula exterior retusa, fimbriata, sæpiùs aristata, aristâ dorsali, tortili, scabrâ, calycem superante; interior exigua, tenuissima, mutica. *Stamina* calyce breviora, alba. *Antheræ* lineares, breves. *Stigmata* plumosa, subsessilia. *Semen* ellipticum, compressum, fuscum, nitidum, corollâ induratâ vestitum.

a. Paniculæ ramulus. *B.* Flos magnitudine auctus, calyce expanso. *C.* Germen cum stigmatibus.

TABULA 66.

MILIUM ARUNDINACEUM.

Milium paniculâ laxâ, corollâ aristatâ glabrâ, calyce mucronato, stipulis brevissimis retusis.

Agrostis miliacea. *Linn. Sp. Pl.* 91. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 363.

A. græca. *Sibth. MSS.*

Γρηλαρη *Zacynthiorum.*

Prope Athenas, et in insulâ Zacyntho. ♃.



Milium arundinaceum



Andropogon Gryllus

Radix cæspitosa, radiculis tortuosis, villosis. *Culmi* numerosi, erecti, foliosi, multinodes, glabri, basi geniculati. *Folia* patentissima, atro-viridia, plana, acuminata, margine scabra, vaginis elongatis, strictis. *Stipula* brevissima, retusa, integra. *Panicula* erecto-secunda, gracilis, ramosissima, ramis semiverticillatis, decompositis, capillaribus, flexuosis, scabris. *Flores* erecti, viridi-purpurei. *Calycis glumæ* inæquales, ovatæ, acuminatæ, nervosæ, angulatæ, læves, opacæ. *Corolla* bivalvis, calyce duplò ferè brevior; valvulæ inæquales, ellipticæ, nitidæ, glaberrimæ, margine involutæ; exterior apice aristata, alteram, duplò minorem, muticam, amplectens. *Arista* calyce sesquilongior, recta, scabriuscula. *Stamina* longitudine vix corollæ. *Antheræ* oblongæ, luteæ. *Stigmata* plumosa, subsessilia. *Semen* parvum, ellipticum, corollâ induratâ vestitum.

A. Flos auctus, glumis in situ naturali.

B. Pistillum nectario bifido, omnibus ferè graminibus communi, suffultum.

ANDROPOGON.

Linn. G. Pl. 540. *Juss.* 30.

Calyx bivalvis, uniflorus. *Corolla* subbivalvis; valvulâ alterâ basin versùs aristatâ. *Flores* plures masculini, pedicellati, corollâ muticâ, vel nullâ.

TABULA 67.

ANDROPOGON GRYLLUS.

Andropogon paniculæ ramis verticillatis simplicibus trifloris, flosculo hermaphroditico ciliato basi barbato; masculinis apetalis.

A. Gryllus. *Linn. Sp. Pl.* 1480. *Amœn. Acad. v.* 4. 332. *Lamarck. Dict. v.* 1. 373. *Scop. Carn. v.* 2. 273. *Desfont. Atlant. v.* 2. 378.

Phœnix. *Hall. Hist. v.* 2. 202. *n.* 1412.

Ægilops bromoides, jubâ purpurascente. *Bauh. Hist. v.* 2. 436. *Scheuchz. Agr.* 267. *t.* 6. *f.* 1.

Gramen avenaceum, utriculis lanugine flavescentibus. *Tourn. Inst.* 525. *Herb. Tourn.*

G. avenaceum, locustis gracilibus, purpurascentibus, longissimis petiolis insidentibus. *Mont. Prod.* 57. *f.* 67. *Segu. Veron. v.* 1. 355.

G. sparteum festuceum, seu Ægilops spartea villosa. *Barrel. Ic. t.* 18: *f.* 2.
Festuca dumetorum, utriculis lanugine flavescentibus: ægilops Dioscoridis. *Bauh. Theatr.* 149, exclusis floribus seorsùm depictis.

In asperis et petrosis Cretæ et Cypri. ♃.

Radix cæspitosa, lignosa, perennis. *Culmi* solitarii, erecti, tripedales, simplices, foliosi, teretes, glabri. *Folia* linearia, acuta, plana, nervosa, subglaucescentia, utrinque pilosa: radicalia numerosa, congesta, vaginis brevibus, compresso-carinatis, sulcatis: caulina breviora, vaginis elongatis, cylindraceis. *Stipula* obsoleta. *Panicula* erecta, ramis undique verticillatis, patentibus, simplicibus, capillaribus, scabris, apice incrassatis. *Flores* solitarii, erecto-patentes, aspectu singulares, haud inelegantes, e flosculis tribus, nec, ut voluit Hallerus, quatuor, compositi: quorum infimus centralis, sessilis, hermaphroditicus, fusco-virens, basi barbatus; glumâ calycinâ exteriore lanceolatâ, ciliato-dentatâ, muticâ, dorso glabratâ; interiore haud ciliatâ, sed apice longiùs aristatâ; corolla bivalvis, æqualis, membranacea, lanceolata, alba, calyce duplò ferè brevior, valvulâ exteriori basi aristatâ, aristâ longissimâ, tortili, scabrâ, fulvâ. *Stamina* tria, calyce breviora, *antheris* linearibus, fulvis. *Germen* exiguum. *Styli* bini, capillares. *Stigmata* cylindracea, plumosa, flava, divaricata. *Flosculi* laterales pedicellati, purpurei, erecti, masculi, basi glabriusculi, scrobiculati: calyce bivalvi, lanceolatâ, subæquali; glumâ exteriore apice aristatâ, aristâ longitudine vix dimidii glumarum, rectâ, scabrâ; interiore submuticâ: corollâ nullâ. *Stamina* tria, calyce breviora. *Pistillum* nullum.

A. Flos triplò ferè auctus, staminibus e flosculo hermaphroditico delapsis.
B. Calycis gluma exterior; *C.* interior.
D. Corolla.
E. Arista e basi corollæ.
F. F. Flosculi masculini.

'BULA 68.

ANDROPOGON HALEPENSIS.

Andropogon paniculâ erectâ supradecompositâ, glumis elliptico-lanceolatis, flosculis omnibus monopetalis.
A. arundinaceum. *Scop. Carn. v.* 2. 274? *Allion. Pedem. v.* 2. 261?
Holcus halepensis. *Linn. Sp. Pl.* 1485. *Schreb. Gram.* 129. *t.* 18?
Milium arundinaceum perenne minus, semine oblongo nigro. *Mont. Prod.* 8. *Segu. Veron. v.* 1. 332.



Andropogon halepensis



Andropogon distachyon

Gramen arundinaceum paniculatum, locustis partim muticis, partim aristatis. *Scheuchz. Agr.* 509. *t.* 11. *f.* 12—15.

G. paniculatum arundinaceum syriacum, Hulliaun indigenis dictum. *Moris. Hist. v.* 3. 201. *sect.* 8. *t.* 6. *f.* 26.

G. arundinaceum halepense, tragopogonis folio, paniculâ miliaceâ. *Pluk. Phyt. t.* 32. *f.* 1.

Γρηλαρὴ *Zacynthiorum*

Circa Athenas frequens; etiam in insulâ Zacyntho. ♃.

Radix repens, articulata, vaginata. *Culmi* solitarii, erecti, simplices, quadripedales, foliosi, teretes, glabri. *Folia* lineari-lanceolata, acuminata, plana, lævia, multinervia, glaucescentia, lineâ centrali albâ; vaginis elongatis, strictis, nervosis, glabris. *Stipula* pilosissima, brevis. *Panicula* erecta, ramosissima, plùs minùs coarctata; ramis verticillatis, ramulisque angulatis, flexuosis, scabris. *Flores* elliptico-lanceolati, clausi, compressi, extùs purpurascentes, sericeo-villosi: hermaphroditici sessiles, aristati, masculinis sæpiùs binis, pedicellatis, minoribus, muticis, comitati ac superati. *Calyx* omnibus bivalvis, valvulis concavis, muticis, interiore minore. *Corolla* univalvis, lanceolata, calyce minore tenuioreque. *Stamina* tria, capillaria, exserta. *Antheræ* luteæ, oblongæ, pendulæ, utrinque bipartitæ. *Germen*, hermaphroditicis, ovatum. *Styli* capillares. *Stigmata* cylindracea, plumosa, fulva, divaricata. *Arista* in flore hermaphroditico tantùm, corollæ opposita, tortilis, glabra, longitudine triplò glumarum.

Plantam a Schrebero et Scopolio descriptam diversam suspicor ob paniculam laxiorem, flores minores, hermaphroditicos dipetalos.

a, *A*. Flos hermaphroditicus cum duobus masculinis, magnitudine naturali et auctâ.
B. Flos hermaphroditicus, glumis vi expansis.
C. Flos masculinus, glumis simili modo expansis.
D, *D*. Corolla.

TABULA 69.

ANDROPOGON DISTACHYOS.

ANDROPOGON spicis digitatis geminis, glumis acutis glabris, culmo simplici.

A. distachyon. *Linn. Sp. Pl.* 1481. *Allion. Ped. v.* 2. 261; ex ipso auctore. *Desfont. Atlant. v.* 2. 377.

A. n. 1. *Ger. Gallopr.* 106. *t.* 3. *f.* 2. *exclusis synonymis Bauhinorum.*

Gramen dactylon, spicâ geminâ. *Tourn. Inst.* 521, *excl. syn. Bauhin.*

G. bicorne seu distachyophorum. *Bocc. Sic.* 20. *t.* 11. *f.* 1.

In insulis Archipelagi frequens. ♃.

Radix fibrosa, cæspitosa, perennis. *Culmi* numerosi, pedales vel sesquipedales, erecti, simplicissimi, foliosi, teretes, glabri. *Folia* linearia, acuminata, patentia, pilosa: caulina breviora, longissimè vaginata. *Stipula* brevis, obtusa, lacera, pilis circumdata. *Spicæ* terminales, geminæ, aphyllæ, cernuæ, ultra biunciales, lineares, acutæ, multifloræ; altera sessilis, altera subpedunculata. *Rachis* flexuosa, articulata, lævis. *Flores* alterni, basi barbati: hermaphroditici sessiles; masculini solitarii, pedicellati, parùm minores. *Calyx* hermaphroditicorum bivalvis, glaber, valvulâ exteriore muticâ, apice flexuoso, purpureo, nitido, acuto; interiore duplò minore, albidâ, emarginatâ, sub apice aristatâ, aristâ rectâ, longitudine valvulæ. *Corolla* bivalvis, alba, valvulis æqualibus, emarginatis, alterâ dorso aristatâ, aristâ longissimâ, tortili, scabrâ. *Stamina* capillaria, exserta. *Antheræ* oblongæ, pendulæ, flavæ. *Germen* subrotundum. *Styli* capillares. *Stigmata* cylindracea, plumosa, fulva. *Calyx* masculinorum glumis emarginatis, exteriore sub apice aristatâ, aristâ rectâ, longitudine dimidii glumæ; interiore duplò minore, muticâ. *Corolla* bivalvis, alba, valvulis subæqualibus, acutis, indivisis, muticis. *Stamina* ut in hermaphroditicis. *Germinis* rudimentum nullum.

a. Rachis portio cum flore hermaphroditico sessili, et masculino pedicellato, in situ ac proportione naturali.

B. Flos hermaphroditicus seorsùm.

C. Flos masculinus cum pedicello.

MELICA.

Linn. G. Pl. 34. *Juss.* 31. *Gærtn. t.* 80.

Calyx bivalvis, subbiflorus; rudimentum tertii floris inter flosculos.

Corolla bivalvis.

TABULA 70.

MELICA CILIATA.

Melica flosculi inferioris petalo exteriore ciliato.

M. ciliata. *Linn. Sp. Pl.* 97. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 381. *Desfont. Atlant. v.* 1. 71.

M. infimo flosculo lanuginoso. *Gmel. Sib. v.* 1. 99.

Arundo n. 1517. *Hall. Hist. v.* 2. 241.



Melica ciliata



Melica saxatilis.

Gramen avenaceum montanum lanuginosum. *Bauh. Pin.* 10. *Theatr.* 156. *Tourn. Inst.* 524.

G. cum locustis parvis candidis pilosis, semine avenaceo. *Bauh. Hist. v.* 2. 434.

G. avenaceum spicâ simplici, locustis densissimis candicantibus et lanuginosis. *Tourn. Inst.* 524. *Scheuchz. Agr.* 174. *t.* 3. *f.* 16, G—K. *Scheuchz. It. Alp. v.* 1. 37. *et* 134. *t.* 4. *f.* 1.

G. montanum avenæ semine. *Clus. Pann.* 718.

G. sparteum alopecurum, spicâ sericeâ glumosâ typhinâ. *Barrel. Ic. t.* 3. *f.* 2.

In collibus et vineis Græciæ frequens. ♃.

Radix fibrosa, cæspitosa, tortuosa ac nodosa. *Culmi* cæspitosi, erecti, stricti, foliosi, bi- vel tripedales, obsoletè nodosi, teretes, glabri. *Folia* patentia, linearia, acuminata, nervosa, plana, glabriuscula; siccitate involuta, rigidula; longissimè vaginata. *Stipula* membranacea, oblonga, obtusa, lacera. *Panicula* spiciformis, erecta, cylindracea, obtusa; ramis racemosis; pedicellis tomentosis, secundis. *Flores* cernui, luteo-albidi. *Calyx* e glumis duabus inæqualibus, concavis, acutis, carinatis, scariosis, nitidis, glabris. *Flosculus* unicus tantùm perfectus, cum alteri rudimento pedicellato, trigono, obtuso. *Corolla* bivalvis, mutica; valvulâ exteriore lanceolatâ, extùs pilis sericeis, albis, glumæ ferè longitudine æqualibus, undique tectâ; interiore duplò minore, glabrâ. *Stamina* capillaria, flore duplò longiora. *Antheræ* luteolæ, oblongæ. *Germen* ellipticum. *Styli* divaricati, longitudine haud glumarum. *Stigmata* cylindracea, pubescentia, alba. *Semen* parvum, elliptico-oblongum, sulco exaratum.

a. Paniculæ ramulus.
B. Flos triplò auctus.
C. Flosculi imperfecti rudimentum.
D. Flosculus perfectus seorsùm, glumis arte expansis.
e, *E*. Semen.

TABULA 71.

MELICA SAXATILIS.

MELICA petalis imberbibus, paniculâ coarctatâ secundâ, floribus cernuis, stipulâ elongatâ, culmo simplici.

M. aspera. *Desfont. Atlant. v.* 1. 71

Gramen avenaceum saxatile, paniculâ sparsâ, locustis latioribus candicantibus et nitidis. *Tourn. Inst.* 524?

In insularum Græcarum collibus frequens. ♃.

Radix fibrosa, cæspitosa. *Culmi* numerosi, pedales vel sesquipedales, erectiusculi, simplicissimi, foliosi, multinodes, teretes, tactu scabriusculi; basi geniculati. *Folia* patentiuscula, linearia, angustissima, acuminato-subpungentia, siccitate involuta, nervosa, scabriuscula, quandoque pubescentia: vaginis elongatis, nervosis, paululùm ventricosis. *Stipula* tubulosa, elongata, alba, sæpiùs bifida et lacera. *Panicula* erecta, stricta, e racemis tribus vel quatuor simplicibus, coarctatis, pedicellis apice pubescentibus. *Flores* secundi, cernui, purpureo luteoque variati. *Calyx* e glumis duabus, valdè inæqualibus, concavis, oblongis, nervosis, muticis, apice scariosis. *Flosculi* bini perfecti, quorum alter sessilis, alter breviùs pedicellatus, cum abortivo, longiùs pedicellato, interjecto. *Corolla* bivalvis, mutica et imberbis; valvulâ exteriore obtusiusculâ, nervosâ, rigidâ, scabriusculâ; interiore duplò minore, tenuiore, elliptico-oblongâ, concavâ, margine pubescente. *Stamina* capillaria, exserta. *Germen* exiguum. *Styli* divaricati. *Stigmata* oblonga, plumosa.

Hanc Sibthorp cum *Melicâ minutâ* Linnæi legit, et ut videtur confudit. A *M. nutante*, quâcum paniculâ convenit, discrepat foliis angustioribus, stipulâ elongatâ; a *M. minutâ* dignoscitur culmo simplici, paniculâ multiflorâ, glumisque acutioribus.

A. Flos, glumis vi expansis, triplò circitèr auctus.
B, B. Calyx.
C, C. Corolla.
D. Flosculus abortivus.

SESLERIA.

Scop. Carn. ed. 1. 189. *Juss.* 31. *Fl. Brit.* 93.

Calyx bivalvis, subtriflorus. *Corolla* bivalvis; valvulâ interiore bifidâ; exteriore (sæpiùs) tridentatâ. *Styli* basi connati.

TABULA 72.

SESLERIA ALBA.

Sesleria spicâ ovato-oblongâ imbricatâ, bracteis alternis, petalis exterioribus lanceolatis acutis indivisis.
Carex dubia. *Sibth. MSS.*

In sylvis prope pagum *Belgrad.* ♃.



Sesleria alba.



Poa Eragrostis

Hoc gramen ex icone tantùm nobis innotuit, nec in herbario Sibthorpiano, neque alibi, vidimus. Descriptio itaque opus foret periculosum. *Sesleriæ* characteres apertè ac palàm in herbâ et floribus sese offerunt, nec difficile est ex corollæ structurâ fingere differentiam specificam. Habitus est ferè *Sesleriæ cœruleæ.* Styli ut in illâ connati videntur. Differt tamen spicæ colore, et præcipuè petalo exteriore indiviso.

A. Folii apex.
b, B. Spicula triflora cum calyce.
C. Petalum exterius; *D.* interius.

P O A.

Linn. G. Pl. 34. *Juss.* 32.

Calyx bivalvis, multiflorus. *Spicula* basi rotundata. *Corolla* bivalvis, valvulis ovatis, acutiusculis, muticis.

TABULA 73.

POA ERAGROSTIS.

Poa paniculâ erectâ ramosâ patente, spiculis linearibus multifloris, flosculis ventricosis tricarinatis, stipulâ ciliari.

P. Eragrostis. *Linn. Sp. Pl.* 100. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 392.

Briza Eragrostis. *Linn. Sp. Pl.* 103. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 405. *Schreb. Gram. t.* 39.

Gramen paniculis elegantissimis, sive εϱαγϱοςις, majus. *Tourn. Inst.* 522. *Scheuchz. Agr.* 194. *t.* 4. *f.* 4.

G. filicinum, sive paniculis elegantissimis. *Moris. Hist. sect.* 8. *t.* 6. *f.* 52.

G. eranthemum seu εραγροςις. *Barrel. Ic. t.* 43.

G. paniculosum phalarioides. *Lob. Ic.* 7.

In arvis circa Athenas, et ad Junonis templum in insulâ Samo. ☉.

Radix annua, fibrosa, fibris subsimplicibus, tomentosis. *Culmi* plures, erecti, simplices, teretes, foliosi, glaberrimi, multinodes, subgeniculati, altitudine varii, quandoque bipedales. *Folia* patentia, linearia, acuta, plana, nervosa, striata, glabra, margine denticulato-scabra. *Vaginæ* haud inflatæ, longitudine vix inter-

nodiorum. *Stipula* e ciliis numerosis, brevibus; lateralibus elongatis, patentibus. *Panicula* solitaria, erecta, ramosissima, multiflora, ramulis subflexuosis, angulatis, scabris. *Spiculæ* alternæ, pedicellatæ, erectiusculæ, lineari-lanceolatæ, compressæ, obtusæ, virides vel purpurascentes, parùm nitidæ, basi rotundatæ. *Glumæ calycinæ* ovatæ, concavæ, subæquales, carinâ scabræ, flosculis minores. *Flosculi* numerosi, 10—36, distichè imbricati, ovati, obtusiusculi, ventricosi, tricarinati, trinerves, oculo armato undique scabri; glumâ interiore ovatâ, complanatâ, ciliatâ, margine inflexâ. *Stamina* exserta. *Antheræ* breves, albidæ. *Germen* subrotundum. *Styli* breves, divaricati. *Stigmata* cylindracea, plumosa. *Semen* parvum, subglobosum, fuscum, læve, liberum, nec, ut in veris *Brizis*, cum corollâ persistente quasi ferruminatum.

Poa Eragrostis et *Briza Eragrostis* Linnæi non nisi flosculorum numero inter se differunt. Præ semine libero non possunt a *Pois* disjungi. Synonyma prioris apud auctores minùs præstant.

A, A. Spicula sub duplici aspectu, triplò aucta.
b, B. Flosculus magnitudine naturali et sextuplò ferè auctâ.
c, C. Semen.

BRIZA.

Linn. G. Pl. 35. *Juss.* 32. *Gærtn. t.* 1.

Calyx bivalvis, multiflorus. *Spicula* disticha. *Corolla* bivalvis, ventricosa, valvulis cordatis, obtusis. *Semen* corollæ adnatum, depressum.

TABULA 74.

BRIZA MINOR.

Briza spiculis triangularibus septemfloris, calyce flosculis longiore, stipulâ lanceolatâ longissimâ.

B. minor. *Linn. Sp. Pl.* 102. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 403. *Fl. Brit.* 108. *Engl. Bot. v.* 19. *t.* 1316. *Dicks. H. Sicc. fasc.* 5. 3. *Desfont. Atlant. v.* 1. 77.

Gramen paniculatum minus, locustis magnis tremulis. *Tourn. Inst.* 523.



Briza minor



Briza elatior

G. tremulum minus, paniculâ magnâ. *Bauh. Pin.* 2.
G. tremulum minus, locustâ deltoide. *Moris. Hist. sect.* 8. *t.* 6. *f.* 47.
G. tremulum minus, paniculâ amplâ, locustis parvis triangulis. *Raii Syn.* 412.
Τζογιες *Zacynthis.*

In Laconiâ, et in insulâ Zacyntho. ☉.

Radix annua, fibrosa, fibris subpubescentibus, luteo-albidis. *Culmi* plures, erecti, simplices vel subramosi, spithamæi vel pedales, foliosi, teretes, basi geniculati, apice tantùm scabriusculi. *Folia* erecta, lætè viridia, lanceolata, acuta, plana, striata, margine scabra: vaginis longissimis, striatis, glabris, subventricosis. *Stipula* lanceolata, elongata, decurrens, indivisa, tenuissima. *Panicula* erecta, ramosissima, diffusa, ramulis divaricatis, capillaribus, flexuosis, spinuloso-scabris, basi apiceque incrassatis. *Spiculæ* cernuæ, tremulæ, albido-virentes, nitidiusculæ, deltoideæ, compressæ, subseptemfloræ. *Glumæ calycinæ* carinatæ, ventricosæ, retusæ, muticæ, glabræ, margine scariosæ: *corollinæ exteriores* formâ calycis, sed minores et breviores; *interiores* longè minores, complanatæ, margine inflexæ. *Stamina* parùm exserta. *Antheræ* breves, utrinque bifidæ, flavæ. *Styli* breves. *Stigmata* cylindracea, gracilia, pubescentia, alba. *Semen* parvum, complanatum, corollâ vestitum.

Ab hâc vix differt *Briza virens* Linnæi; at *Gramen tremulum minus, paniculâ parvâ* Bauhinorum et Scheuchzeri distincta species videtur. Confer Halleri Historiam, sub numero 1449.

A. Spicula lente aucta.
B. Flosculus seorsìm, glumis vi divaricatis ut germen in conspectum veniat.

TABULA 75.

BRIZA ELATIOR.

Briza spiculis cordatis duodecimfloris, calyce flosculis breviore, corollâ gibbosâ, stipulâ brevissimâ obtusâ.

In monte Athone. *D. Hawkins.* ♃.

Quod de *Sesleriâ albâ*, *tab.* 72, de hâc etiam valet. Ex icone characterem desumpsi. *Brizæ mediæ* proxima hæc species videtur, at magnitudine, flosculorum numero, formâque corollæ, satis diversa.

a, A. Flosculus seorsìm. *B.* Corollæ gluma exterior; *C.* interior. *D.* Pistillum.

TABULA 76.

BRIZA MAXIMA.

Briza spiculis cordato-ovatis pendulis, flosculis septendecim orbiculatis concavis, paniculâ subsimplici, stipulâ oblongâ.

B. maxima. *Linn. Sp. Pl.* 103. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 405. *Desfont. Atlant. v.* 1. 77.

Gramen paniculatum, locustis maximis, candicantibus, tremulis. *Tourn. Inst.* 523.

G. tremulum maximum. *Bauh. Pin.* 2. *Theatr.* 23, 24. *Scheuchz. Agr.* 202. *t.* 4. *f.* 7. *Moris. Hist. sect.* 8. *t.* 6. *f.* 48.

Σκολαρικάκια *hodiè.*

In arvis insularum Græcarum frequens. ⊙.

Radix fibrosa, tomentosa, annua. *Culmi* solitarii vel plures, erecti, foliosi, teretes, læves atque glaberrimi, altitudine varii, sæpiùs bipedales. *Folia* linearia, acuta, plana, striata, scabriuscula; vaginis strictis. *Stipula* oblonga, obtusa, decurrens. *Panicula* simplex, ramis capillaribus, scabris, inferioribus bifidis. *Spiculæ* maximæ, ferè unciales, pendulæ, tremulæ, formosæ, ovatæ, vix cordatæ, acutæ, compressiusculæ, scariosæ, nitidiusculæ, viridi alboque variatæ, basi purpurascentes. *Calycis glumæ* subæquales, orbiculato-ovatæ, concavæ, purpureo pictæ. *Flosculi* numerosi, 12—20, imbricati, formâ ferè calycis, vel magìs orbiculati, acutiusculi, multinervosi, oculo armato subpubescentes; valvulâ interiore duplò vel triplò minore, tenuioreque, retusâ, concavâ. *Antheræ* exsertæ, breves. *Stigmata* subinclusa, cylindracea, pubescentia. *Semen* orbiculatum, depressum, glumis corollinis persistentibus, adnatis, tectum.

A. Flosculus auctus seorsìm, e parte internâ.
B. Gluma interior cum staminibus et pistillo in situ.
c, C. Semen basi corollæ persistente tectum.

TABULA 77.

_RIZA SPICATA.

Briza spiculis ovatis erectis septemfloris, calyce flosculis breviore, corollâ ventricosâ, paniculâ subspicatâ erectâ.

In monte Parnasso. ⊙.



Briza maxima



Briza spicata.



Cynosurus echinatus.

Radix fibrosa, pubescens. *Culmi* sæpiùs plures, adscendentes, foliosi, graciles, geniculati, teretes, læves, spithamæi aut ferè pedales. *Folia* patentia, linearia, acuta, angusta, lævia; vaginis elongatis, parùm inflatis. *Stipula* oblonga, acuta, lacera. *Panicula* biuncialis, erecta, stricta, coarctata, sæpiùs ramosa, ramis brevibus, subflexuosis, teretibus, omninò ferè lævibus. *Spiculæ* erectæ, pallidè virentes albo variatæ, ovatæ, acutæ, turgidæ, utrinque carinatæ, sub lente punctato-scabriusculæ. *Calycis glumæ* æquales, obovatæ, obtusæ cum mucronulo, concavæ, carinatæ. *Flosculi* 7—9, imbricati, formâ calycis, enerves; valvulâ interiore duplò breviore, obtusâ, planiusculâ, demùm ampliatâ. *Antheræ* exsertæ, breves. *Stigmata* subinclusa. *Semen* fuscum, orbiculatum, depressum, corollæ adnatum, ut in omnibus hujus generis speciebus veris.

A. Spicula magnitudine aucta. *B*. Flosculus seorsìm, vi expansus. *c*, *C*. Semen.

CYNOSURUS.

Linn. G. Pl. 36. *Juss.* 31. *Gærtn. t.* 1.

Calyx bivalvis, multiflorus. *Receptaculum* proprium unilaterale, foliaceum.

TABULA 78.

CYNOSURUS ECHINATUS.

Cynosurus glumis sterilibus pinnatis patulis scariosis aristatis, spicâ compositâ ovatâ.
C. echinatus. *Linn. Sp. Pl.* 105. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 412. *Fl. Brit.* 112. *Engl. Bot. v.* 19. *t.* 1333. *Desfont. Atlant. v.* 1. 81.
Gramen spicatum echinatum, locustis unam partem spectantibus. *Tourn. Inst.* 519.
G. alopecuroides spicâ asperâ. *Bauh. Pin.* 4. *Scheuchz. Agr.* 80. *t.* 2. *f.* 8. B, D.

In maritimis, et ad vias, in insulis Græciæ frequens. ☉.

Radix annua, fibrosa, pubescens, albida. *Culmi* sæpiùs numerosi, spithamæi vel pedales, erecti, foliosi, teretes, læves, geniculis purpurascentibus. *Folia* patentia, saturatè viridia, latè lanceolata, acuta, scabra, basi ovata; vaginis elongatis, sur-

sùm ventricosis. *Stipula* oblonga, obtusa, amplexicaulis. *Spica* terminalis, ovata, composita, densa, secunda, pedunculis glabris. *Glumæ steriles* laterales sub singulo flore, pinnatæ, alternæ, distichæ, patulæ, lanceolatæ, scariosæ, serratæ, aristatæ, albidæ. *Calyx* biflorus, glumis æqualibus, lineari-lanceolatis, membranaceis, aristatis, albidis. *Flosculi* inæqualitèr pedicellati, glumis exterioribus durioribus, carinatis, supernè scabris, sub apice aristatis, aristâ rectâ, scabrâ, luteâ vel purpureâ, persistente, glumis longiore: interioribus minoribus, tenuissimis, albis. *Antheræ* exsertæ, oblongæ, flavæ. *Styli* breves. *Stigmata* oblonga, plumosa, alba. *Semen* oblongum, corollâ induratâ vestitum, hinc sulcatum.

A. Flos integer, cum glumis sterilibus pinnatis.
b, B. Flos seorsìm, vi expansus.
C, C, C. Calyx.
d, D. Semen corollâ vestitum.
E. Semen denudatum.

TABULA 79.

CYNOSURUS AUREUS.

Cynosurus glumis sterilibus imbricatis distichis scariosis obtusis muticis, paniculâ oblongâ, floribus pendulis secundis.

C. aureus. *Linn. Sp. Pl.* 107. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 418. *Desfont. Atlant. v.* 1. 83.

Gramen barcinonense, paniculâ densâ aureâ. *Tourn. Inst.* 523. *Shaw. Afric. n.* 279, *cum icone rudi.*

G. paniculâ pendulâ aureâ. *Bauh. Pin.* 3. *Scheuchz. Agr.* 149. *t.* 3. *f.* 12.

G. sciurum seu alopecurum minus, heteromallâ paniculâ. *Barrel. Ic. t.* 4.

G. aureum. *Dalech. Hist.* 430.

In asperis et petrosis Græciæ; etiam in Asiâ minori, et insulâ Cypro. ☉.

Radix annua, fibrosa, fibris elongatis, villosis. *Culmi* plures, palmares aut spithamæi, erecti, sæpè geniculati, foliosi. *Folia* erecto-patula, glaucescentia, lanceolata, latiuscula, acuta, nervosa, glabra; vaginis carinatis, sursùm inflatis. *Stipula* oblonga, acuta, subdecurrens, tenuissima, alba. *Panicula* erecta, oblonga, densa, aureo-nitens, ramis compositis, secundis, pedunculis pilosis. *Flores* penduli. *Glumæ* steriles calyculatæ, bifariàm imbricatæ, obovatæ, obtusæ, muticæ, scariosæ, nitidæ. *Glumæ calycinæ* subæquales, lanceolatæ, acutæ, muticæ, scabræ. *Flosculi* bini, vix plures, pedicellati, supernè scabri, sub apice longiùs aristati, aristâ rectâ, scabrâ, quorum superior sæpè abortivus. *Antheræ* breves. *Stigmata* longissima, pubescentia.



Cynosurus aureus



Festuca littoralis.

Aeluropus lagopoides Trin

Flores quandoque ex eodem calyce cum glumis sterilibus imbricatis oriuntur, at semper calyce proprio insuper muniuntur.

a, A. Paniculæ portio, magnitudine naturali et auctâ.
B. Glumæ steriles imbricatæ.
C. Flos seorsìm.
D, D. Glumæ calycinæ.

FESTUCA.

Linn. G. Pl. 36. *Juss.* 32.

Calyx bivalvis, multiflorus. *Spicula* oblonga, teretiuscula, disticha; glumis acuminatis.

TABULA 80.

FESTUCA LITTORALIS.

Festuca paniculâ secundâ glomeratâ ovatâ, foliis involutis acutis distichis, stipulis pilosis, culmis prostratis.
Poa littoralis. *Gouan. Fl. Monsp.* 470. *Vahl. Symb. v.* 2. 19.
P. maritima. *Cavan. Ic. v.* 2. 23. *t.* 126.
Dactylis littoralis. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 408.
D. repens. *Desfont. Atlant. v.* 1. 79. *t.* 15.
Gramen caninum maritimum spicatum. *Bauh. Pin.* 2. *Prod.* 2. *f.* 2. *Tourn. Inst.* 518. *Pluk. Phyt. t.* 33. *f.* 3.

In arenosis maritimis Messeniæ, et insulæ Cimoli, Junio florens. ♃.

Radix repens, perennis, fibris validis, pubescentibus. *Culmi* prostrati, ramosi, rigidi, teretes, glaberrimi, ramis fasciculatis, erectis, palmaribus, foliosis, simplicibus. *Folia* patentia, glabra, glaucescentia, alterna, disticha, uncialia, lanceolata, acuminata, involuta, basi latissima; vaginis compressis, striatis, sæpiùs folio latioribus. *Stipula* pilosa, divaricata. *Panicula* terminalis, ovata, glomerata, coarctata. *Spiculæ* subsessiles, secundæ, ovato-oblongæ, compressæ, incanæ aut pilosæ, 10—16-floræ. *Glumæ calycinæ* elliptico-oblongæ, concavæ, carinatæ, mucronulatæ, sulcatæ, apicem versùs crenulatæ, carinâ scabræ, sæpè plùs minùs pilosæ.

Flosculorum glumæ exteriores calyci omninò conformes; interiores membranaceæ, glabræ, albidæ, margine inflexæ, apice dilatatæ, bifidæ. *Antheræ* oblongæ. *Germen* subrotundum. *Stigmata* cylindracea, villosa.

A. Spicula magnitudine aucta.
B. Flosculus arte expansus.
C. Gluma exterior.
D. Gluma interior.
E. Germen cum stylis.

TABULA 81.

FESTUCA DACTYLOIDES.

Festuca paniculâ ovatâ coarctatâ, foliis planis patentibus, culmis erectis, glumis omnibus carinatis scabris.

Dactylis pungens. *Desfont. Atlant. v.* 1. 80. *t.* 16?

In Archipelagi insulis rariùs. Junio lecta in Meli vineis. ⊙?

Radix fibrosa, fibris elongatis, villosis. *Culmi* pedales, erecti, geniculati, teretes, foliosi. *Folia* patentissima, linearia, angusta, acuta, plana, vaginis strictis. *Stipula* oblonga, lacera. *Spica* ovata, uncialis, erecta, coarctata. *Spiculæ* ut videtur secundæ, subsessiles, ovatæ, compressæ, 9-aut 10-floræ. *Flosculorum* glumæ exteriores elliptico-oblongæ, concavæ, emarginatæ, carinatæ, costatæ, costis scabris, sub apice brevissimè aristatæ; interiores lanceolatæ, carinatæ, concavæ, acutæ, muticæ, carinâ scabræ, margine inflexæ, membranaceæ. *Stamina* et *pistillum* ut in priore.

Hujus specimina in herbario Sibthorpiano non inveni. Quoad flosculorum formam, ambigit inter *Dactylidem* et *Festucam*.

A. Spicula aucta.
B. Flosculus seorsìm expansus.
C. Gluma exterior.
D. Gluma interior.





Bromus tectorum.

BROMUS.

Linn. G. Pl. 36. *Juss.* 32. *Fl. Brit.* 125.

Calyx bivalvis. *Spicula* oblonga, disticha: *arista* infra apicem: *gluma interior* pectinato-ciliata.

TABULA 82.

BROMUS TECTORUM.

Bromus paniculâ nutante ramosâ, spiculis linearibus, flosculis lineari-lanceolatis nervosis, foliis pubescentibus.

B. tectorum. *Linn. Sp. Pl.* 114; exclusis synonymis omnibus præter Tournefortianum. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 434.

Gramen avenaceum, locustis villosis angustis candicantibus et aristatis. *Tourn. Inst.* 526.

Circa Athenas et Messeniam. ♂.

Radix fibrosa, biennis, fibris vix pubescentibus. *Culmi* plures, erectiusculi, ferè pedales, teretes, foliosi, glabri. *Folia* patentia, plana, acuta, nervosa, utrinque pubescentia, pilis longitudine variis; vaginis elongatis, striatis, pubescentibus, parùm inflatis. *Stipula* oblongiuscula, lacera. *Panicula* palmaris, cernua, ramosa, multiflora, virens, pedunculis scabris. *Spiculæ* pendulæ, lineares, vel lineari-lanceolatæ, scabriusculæ, vel pilosæ. *Glumæ calycinæ* inæquales, lanceolatæ, acuminatæ; majore trinervi. *Flosculi* 5—7, imbricati, demùm patentiusculi, ferè lineares, compressi, carinati, utrinque binerves, sæpè pilosi, apicem versùs scabri, acumine bifido, membranaceo. *Arista* parùm infra apicem glumæ, recta, scabra, glumâ duplò vel triplò longior. *Gluma interior* linearis, membranacea, mutica, pectinato-ciliata. *Stamina*, e Baueri auctoritate, tria.

a. Spicula sub florescentiâ, magnitudine naturali.
B. Flosculus seorsìm auctus.

TABULA 83.

BROMUS RUBENS.

Bromus paniculâ fasciculatâ, spiculis subsessilibus villosis erectis, flosculis lineari-lanceolatis nervosis, aristis rectis.

B. rubens. *Linn. Sp. Pl.* 114. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 435. *Cavan. Ic. v.* 1. 34. *t.* 45. *f.* 2. *Desfont. Atlant. v.* 1. 94.

Gramen avenaceum, spicâ simplici breviori et crassiori, locustis longissimis (potiùs densissimis) longiùs aristatis. *Tourn. Inst.* 524. Ex auctoritate Cl. Desfont.

Inter segetes Peloponnesi, et in insulâ Cretâ. ♂.

Radix fibrosa, pubescens. *Culmi* spithamæi vel pedales, erectiusculi, geniculati, foliosi, glabri, sæpè purpurascentes. *Folia* patentia, plana, linearia, angusta, acuta, nervosa, utrinque pubescentia; vaginis strictis, pubescentibus. *Stipula* breviuscula, lacera. *Panicula* biuncialis, erecta, densa, plùs minùs composità, purpurascens, pilosa. *Spiculæ* erectæ, subsessiles, lineari-lanceolatæ, pilosæ, scabræ. *Glumæ calycinæ* inæquales, lanceolatæ, apice membranaceæ, acutæ; majore trinervi. *Flosculi* 7—9, imbricati, purpurascentes, lineari-lanceolati, carinati, nervosi, scabri atque pilosi, apice bifidi. *Arista* infra apicem glumæ, recta, scabra, rubens, glumâ duplò longior. *Gluma interior* linearis, angusta, ciliata, involuta, colorata. *Stamina,* ex icone Baueri, tria, antheris brevibus.

Cum hac specie *Bromum scoparium* Linnæi malè omninò conjunxere Cl. Lamarck et Cavanilles.

a. Spicula. *B.* Flosculus expansus, magnitudine auctus.

TABULA 84.

BROMUS RAMOSUS.

Bromus spicâ simplici erectâ distichâ, spiculis sessilibus teretiusculis, culmo basi ramosissimo, foliis involutis.

B. ramosus. *Linn. Mant.* 34. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 437. *Vahl. Symb. v.* 2. 22.

B. Plukenetii. *Allion. Pedem. v.* 2. 250.

Festuca phœnicoides. *Linn. Mant.* 33; optimè monente Vahlio.

F. spiculis alternis subsessilibus teretibus, foliis involutis mucronato-pungentibus. *Gerard. Galloprov.* 95. *t.* 2. *f.* 2.



Bromus rubens



Bromus ramosus



Stipa juncea

Gramen juncifolium loliaceum corniculatum veluti frutescens glabrum orientale. *Scheuchz. Agr.* 38.

G. spicâ brizæ minus. *Pluk. Phyt. t.* 33. *f.* 1. *Herb. Pluk.* ex auctoritate Vahlii.

G. loliaceum corniculatum veluti fruticosum, foliis angustissimis. *Tourn. Inst.* 517; ex charactere.

Prope Athenas. ♃.

Radix fibrosa, cæspitosa. *Culmi* numerosi, adscendentes, pedales vel sesquipedales, graciles, teretes, glabri, foliosi; basi ramosi, crebrè geniculati, rigiduli, et ferè suffruticosi; apice nudi. *Folia* horizontalitèr patentia, subdisticha, alterna, linearia, angusta, involuto-pungentia, subtùs scabriuscula; vaginis strictis, obsoletè nervosis. *Stipula* brevis, obtusa, ciliata. *Spica* erecta, simplicissima, stricta, e spiculis tribus aut quatuor sessilibus, alternis, sub anthesin patentiusculis, linearibus, teretiusculis, acutis, glabris. *Glumæ calycinæ* inæquales, ellipticæ, sulcatæ, muticæ. *Flosculi* 12—20, imbricati, virides, elliptici, obtusi, glabri, supernè præcipuè nervosi, margine ciliati, apice ferè aristati, aristâ rectâ, brevissimâ. *Gluma interior* magnitudine ferè exterioris, retusa, marginibus arctè inflexis, extùs tenuè ciliatis. *Antheræ* oblongæ, flavæ. *Germen* hispidum. *Styli* brevissimi. *Stigmata* plumosa.

a, A. Flosculus expansus, magnitudine naturali et auctâ. *B.* Pistillum seorsìm.

STIPA.

Linn. G. Pl. 37. *Juss.* 30.

Calyx bivalvis, uniflorus. *Corollæ* valvula exterior aristâ terminali, longissimâ, basi articulatâ.

TABULA 85.

STIPA JUNCEA.

STIPA aristis nudis rectis longissimis, calycibus læviusculis semine longioribus, foliis nudis.

S. juncea. *Linn. Sp. Pl.* 116. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 440. *Desfont. Atlant. v.* 1. 98. *t.* 28.

Festuca junceo folio. *Bauh. Pin.* 9. *Prodr.* 19. *Theatr.* 145. *Scheuchz. Agr.* 151. *t.* 3. *f.* 13. A.

Gramen avenaceum maximum, utriculis cum lanugine albâ et longissimis aristis. *Tourn. Inst.* 525.

In montibus Lyciæ, et insulæ Cretæ. ♂.

Radix . . . *Culmus* tripedalis, erectus, teres, lævis, foliosus. *Folia* linearia, acuminata, patentia, siccitate involuta; suprà scabra; vaginis dilatatis, striatis, glaberrimis: summa paululùm dilatata et explanata. *Stipula* oblonga, acuta. *Panicula* erecto-subsecunda, spithamæa aut ultrà, ramosa, pedicellis scabriusculis, sursùm dilatatis. *Flores* erectiusculi. *Calycis* glumæ inæquales, lineari-lanceolatæ, membranaceæ, longè ac tenuissimè acuminatæ, albido-virentes, glaberrimæ. *Corollæ* glumæ involutæ; interior alba, tenuissima, *mutica*; exterior coriacea, plùs minùs pilosa, demùm indurata, semen obvolvens, apice aristata. *Arista* longissima, spithamæa, tenuissima, triquetra, scabra, recta, basi tantùm spiralis. *Antheræ* lineares, flavæ. *Styli* brevissimi. *Stigmata* plumosa.

a, A. Flos magnitudine naturali et parùm auctâ. *B.* Gluma corollæ interior. *C.* Germen cum stylis.

TABULA 86.

STIPA PALEACEA.

Stipa aristis basi pilosis tortuosis, calycibus semine longioribus, foliis involuto-subulatis pubescentibus.

S. paleacea. *Vahl. Symb. v.* 2. 24. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 441.

S. tortilis. *Desfont. Atlant. v.* 1. 99. *t.* 31.

Gramen avenaceum supinum minus, spicâ densissimâ, cum longissimis aristis lanuginosis tortilibus. *Tourn. Inst.* 525. Ex auctoritate Cl. Desfont.

Spartium spicâ et setulis tenuissimis, caudam equinam æmulantibus. *Scheuchz. Agr.* 152. *Bocc. Mus. t.* 97.

In Peloponneso et in Cretâ. ☉?

Radix fibrosa, fibris basi tomentosis. *Culmi* plures, pedales, erecti, geniculati, foliosi, teretes, glabri. *Folia* linearia, acuminata, siccitate præcipuè involuta, ciliata; suprà glabra, sulcata; subtùs striata; vaginis sulcatis, ciliatis, summâ maximè elongatâ et ventricosâ, paniculam amplectente. *Stipula* ciliaris. *Panicula* palmaris, ramosa, coarctata, erectiuscula, pedicellis angulatis, scabris. *Flores* erecti.



Stipa paleacea.



Stipa aristella.

Calycis glumæ membranaceæ, tenuissimæ, albidæ, inæquales, lineares, acuminatæ, basi subindè contractæ. *Flosculus* pedicellatus. *Corolla* ferè prioris sed minor, densiùsque pilosa. *Arista* subpalmaris, triquetra, geniculata, scabra, longè supra basin multiplicitèr torta et pilosa. *Stamina* et *pistillum* ut in præcedente.

a, A. Flos integer cum pedicello.

TABULA 87.

STIPA ARISTELLA.

Stipa aristis nudis rectis calyce haud triplò longioribus, calycibus sulcatis, paniculâ spicatâ.

S. aristella. *Linn. Syst. Nat. ed.* 12. *v.* 3. 229. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 441. *Gouan. Illustr.* 4.

Agrostis bromoides. *Linn. Mant.* 30.

In Bithyniâ, et circa Athenas. Etiam in agro Byzantino. ♃.

Radix perennis, fibrosa, pubescens. *Culmi* cæspitosi, numerosi, sesquipedales, erecti, stricti, graciles, teretes, glabri, foliosi. *Folia* linearia, angusta, acuminata, involuta, suprà sulcata, utrinque glabra, vaginis strictis, lævibus. *Stipula* brevissima, ferè nulla. *Panicula* palmaris et ultra, erecta, stricta, spiciformis, basi præcipuè ramosa, pedicellis angulatis et compressis, angulis scabris. *Flores* erecti. *Calycis* glumæ subæquales, scariosæ, demùm valdè sulcatæ, flavescentes, semine longiores. *Flosculus* sessilis. *Corollæ* gluma exterior pilosa, interior duplò brevior, acuta. *Arista* calyce duplò, vix triplò, longior, recta, angulata, oculo armato scabriuscula, minimè pilosa. *Stamina* et *pistillum* ferè priorum.

A. Flos arte expansus magnitudine auctus.
b, B. Semen corollâ persistente tectum.

AVENA.

Linn. G. Pl. 37. *Juss.* 32.

Calyx bivalvis, multiflorus. *Corollæ* valvula exterior dorso aristata, aristâ contortâ.

TABULA 88.

AVENA FRAGILIS.

Avena spicata, calycibus quadrifloris sulcatis flosculo longioribus, foliis planis pilosis.

A. fragilis. *Linn. Sp. Pl.* 119. *Schreb. Gram. t.* 24. *f.* 3. *Desfont. Atlant. v.* 1. 103.

Gramen loliaceum, angustiore folio et spicâ, aristis donatum. *Tourn. Inst.* 516. Ex auctoritate Cl. Desfont.

G. loliaceum lanuginosum, spicâ fragili articulatâ, glumis pilosis, aristatum. *Scheuchz. Agr.* 32. *t.* 1. *f.* 7 G.

In arenosis maritimis Græciæ frequens. ☉.

Radix annua, fibrosa, subpubescens. *Culmi* numerosi, erecti, subindè ramosi, foliosi, glabri, basi geniculati. *Folia* erectiuscula, pallidè viridia, plana, acuta, integerrima, nervosa, pilosa atque ciliata, vaginis elongatis, parùm ventricosis. *Stipula* brevissima, ferè integerrima. *Spica* spithamæa, erecta, stricta, multiflora, *Lolii* vel *Rotbolliæ* effigie, rachi flexuosâ, articulatâ, compressâ, articulis sursùm incrassatis. *Spiculæ* alternæ, sessiles, quadrifloræ. *Calycis* glumæ inæquales, obtusæ, muticæ, nervosæ, sulcatæ, carinâ scabræ. *Flosculi* alterni, sessiles in rachi partiali, valdè flexuosâ, glabrâ. *Corollæ* glumæ acutæ; interior membranacea, involuta, alba; exterior duplò major, crassior, virens, apicem versùs sulcata, dorso scabra, sub apice aristata. *Arista* flore triplò longior, contorta, scabra, purpurascens vel flavescens, apice tenuissima. *Antheræ* oblongæ, utrinque bipartitæ. *Germen* pilosum. *Stigmata* cylindracea, villosa.

a. Spicula cum rachis portione.

A. Flosculus seorsìm, ultrà quod naturæ est expansus.



Avena fragilis



Avena fragilis



C Avena caryophyllea.



Lagurus ovatus

TABULA 89.

AVENA CARYOPHYLLEA.

Avena spicata, calycibus octofloris, receptaculis nudis, foliis planis glabris.

In Cimoli insulæ cretaceis. ♃.

Hâc plantâ caret herbarium Sibthorpianum. Ex icone videtur *Avenæ pubescenti* et *pratensi* affinis esse, discrepat verò foliis planis, glabris, glaucescentibus, flosculis numerosioribus, receptaculis, sive rachibus partialibus, nudis, nec pilosis.

a. Calyx seorsìm, pedicello insidens.
b. Flosculus.
C. Idem expansus, magnitudine auctus.
D. Germen pilosum, cum stigmatibus ferè sessilibus.

LAGURUS.

Linn. G. Pl. 37. *Juss.* 30. *Gærtn. t.* 1.

Calyx bivalvis, uniflorus, aristis villosis. *Corollæ* gluma exterior aristis duabus terminalibus, tertiâ dorsali retortâ.

TABULA 90.

LAGURUS OVATUS.

Lagurus ovatus. *Linn. Sp. Pl.* 119. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 453. *Fl. Brit.* 143. *Engl. Bot. v.* 19. *t.* 1334. *Schreb. Gram. t.* 19. *f.* 3. *Desfont. Atlant. v.* 1. 105.

Gramen spicatum tomentosum, longissimis aristis donatum. *Tourn. Inst.* 517. *Scheuchz. Agr.* 58. *t.* 2. *f.* 8.

G. alopecuroides, spicâ rotundiore. *Bauh. Pin.* 4. *Theatr.* 56.

G. alopecurum molle, spicâ incanâ. *Barrel. Ic. t.* 116. *f.* 1, 2.

Λαγουνέρα *hodiè.*

Αλουπονόρα *Zacynthiorum.*

Ρέννα βούτομο *apud Atticos.*

In littoribus maritimis collibusque Græciæ frequens. ⊙.

Radix annua, fibrosa, glabra. *Culmi* solitarii vel plures, erecti, pedales aut sesquipedales, foliosi, teretes, striati, mollissimè pubescentes, pilis deflexis; basi geniculati; supernè glabrati, nudi. *Folia* ovato-lanceolata, acuta, nervosa, integerrima, subundulata, utrinque mollissimè pubescentia; vaginis elongatis, subventricosis, nervosis, tomentosis. *Stipula* oblonga, utrinque barbata. *Spica* terminalis, solitaria, erecta vel cernua, ovata, obtusiuscula, densissima, multiflora. *Flores* congesti, ferè sessiles. *Calycis* glumæ æquales, lineares, acutæ, densè pectinato-ciliatæ, pilis longis, albis, mollibus. *Flosculus* subsessilis, solitarius, interdùm cum rudimento plumoso alteri abortivi. *Corollæ* gluma interior membranacea, involuta, bifida, mutica; exterior major, durior, concava, triaristata. *Arista dorsalis* solitaria, geniculata, scabra, flore duplò vel triplò longior; *terminales* duæ, æquales, rectæ, longitudine glumæ. *Antheræ* breviusculæ, basi apiceque bifidæ. *Germen* obovatum, glabrum. *Stigmata* cylindracea, pubescentia. *Semen* liberum, hinc sulco exaratum.

a, A. Flos magnitudine naturali et auctâ.
B, B. Calyx.
C. Rudimentum flosculi abortivi.
D. Flosculus perfectus, cum aristis, et organa fructificationis.
e, E. Semen.

ROTBOLLIA.

Linn. Suppl. 13. *Juss.* 31.

Calyx fixus, subuniflorus, simplex sive bipartitus. *Flores* alterni, in rachi articulatâ.

TABULA 91.

ROTBOLLIA INCURVATA.

Rotbollia spicâ tereti subulatâ, glumâ calycinâ subulatâ adpressâ bipartitâ.

R. incurvata. *Linn. Suppl.* 114. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 463. *Fl. Brit.* 151. *Engl. Bot. v.* 11. *t.* 760. *Desfont. Atlant. v.* 1. 110.

Ægilops incurvata. *Linn. Sp. Pl.* 1490.



Rotbollia incurvata.



Rottbollia digitata

Gramen loliaceum maritimum, spicis articulatis. *Tourn. Inst.* 517.
G. loliaceum maritimum scorpioides. *Scheuchz. Agr.* 42. *t.* 2. *f.* 1.

In Cypri et Zacynthi arenosis maritimis. ☉.

Radix fibrosa, ramosa, pubescens, annua. *Culmi* numerosi, palmares aut spithamæi, ramosi, foliosi, teretes, geniculati, glabri, basi decumbentes. *Folia* patula, linearia, acuta, plana, nervosa, suprà margineque scabra; vaginis parùm ventricosis, nervosis, glabris, folio brevioribus. *Stipula* brevis, obtusa. *Spicæ* terminales, solitariæ, filiformes, incurvatæ, glabræ, multifloræ. *Rachis* articulata, articulis hinc scrobiculatis, unifloris. *Calycis* glumæ subulatæ, acutæ, sulcatæ, muticæ, glabræ, parallelæ et arctè connatæ, omnè scrobiculum affabrè claudentes, sub anthesin verò patentes, et demùm divaricati. *Flosculus* solitarius, sessilis. *Corollæ* glumæ membranaceæ, lanceolatæ, acutæ, muticæ, subæquales. *Antheræ* lineares, albidæ. *Stigmata* plumosa. *Semen* in scrobiculo proprio, glumis calycinis clauso, fovitur, et cum decidente rachis articulo tandem spargitur.

a. Portio rachis superior.
B. Articulus seorsìm, magnitudine triplò auctus.
c, C. Flos a rachi sejunctus.
D. Glumæ calycinæ connatæ.
E. Pistillum.

TABULA 92.

ROTBOLLIA DIGITATA.

Rotbollia spicis terminalibus fasciculatis, rachi angulatâ scabrâ, glumis acuminatis, foliorum vaginis pilosis.

In Bithyniâ, in itinere Olympum versùs, legit Sibthorp. ♃.

Radix, ni fallor, perennis. *Culmi* bi- vel tripedales, erecti, ramosi, foliosi, teretes, glabri. *Folia* pedalia vel ultrà, erecto-patentia, linearia, acuta, plana, nervosa, glaucescentia, suprà scabra et sæpè pilosa; vaginis elongatis, strictis, nervosis, punctato-scabris atque pilosis. *Stipula* ciliaris. *Spicæ* terminales, erectæ, fasciculatæ, spithameæ aut pedales, multifloræ, interdùm solitariæ. *Rachis* subflexuosa, articulis striatis, scabris, hinc canaliculatis, bifloris. *Calyx* inferior sessilis, uniflorus: superior pedicellatus, biflorus. *Glumæ* lanceolatæ, acuminatæ, obliquè carinatæ, hinc complanatæ, lævigatæ, carinâ scabræ. *Corollæ* glumæ calyce minores, subæquales, lanceolatæ, acutæ, muticæ, involutæ, membranaceæ, albæ. *Antheræ* lineares, flavæ. *Styli* elongati. *Stigmata* cylindracea, plumosa, flava.

a. Portio rachis.
B. Flos pedicellatus, calyce bifloro, magnitudine auctus.

ÆGILOPS.

Linn. G. Pl. 543. *Juss.* 30. *Gærtn. t.* 175.

Calyx bivalvis, triflorus, aristato-furcatus, cartilagineus. *Corolla* bivalvis, bi- sive trifurca. *Flosculus intermedius* masculus. *Flores* alterni, in rachi articulatâ.

TABULA 93.

ÆGILOPS OVATA.

ÆGILOPS spicâ ovatâ, calycibus omnibus ventricosis triaristatis, aristis spicam superantibus.
Æ. ovata. *Linn. Sp. Pl.* 1489. *Desfont. Atlant. v.* 2. 383.
Æ. altera. *Camer. Epit.* 928.
Ægilops. *Dod. Pempt.* 539.
Gramen spicatum, durioribus et crassioribus locustis, spicâ brevi. *Tourn. Inst.* 519. *Scheuchz. Agr.* 11. *t.* 1. *f.* 2.
Festuca altera, capitulis duris. *Bauh. Pin.* 10. *Theatr.* 151.
Αιγιλωψ *Dioscoridis.*
Σιδερόσταρο *hodiè.*
Αγριόστάρι *Zacynthiorum.*

In Archipelagi insulis frequens. ☉.

Radix fibrosa, annua, glabra. *Culmi* plures, pedales, erecti, simplices, teretes, glabri, foliosi, basi geniculati. *Folia* patentia, lineari-lanceolata, acuta, breviuscula, plana, striata, utrinque pilosa, vaginis parùm ventricosis, striatis, ciliatis. *Stipula* brevis, obtusa. *Spica* ovata, erecta, brevis, simplex, pauciflora. *Rachis* flexuosa, articulis sursùm dilatatis, compressis, sulcatis, scabris. *Flores* solitarii, sessiles; summus glumaceus, abortivus. *Calycis* glumæ omnes aristatæ, ovato-subrotundæ, ventricosæ, cartilagineæ, intùs læves, extùs nervosæ, scabræ; aristis quaternis, terminalibus, æqualibus, uncialibus, rectis, setaceis, scabris, basi complanatis, carinatis. *Flosculi* terni, quorum unus hermaphroditicus, alter masculus, et tertius intermedius, pedicellatus, abortivus, muticus. *Corollæ gluma exterior* ventricosa, sulcata, scabra, in flosculo hermaphroditico tri- quatuor- aut quinquearistata,



Aegilops ovata.



Aegilops comosa.



Aegilops cylindrica.

aristis scabris, longitudine maximè variis; in masculo sæpiùs triaristata: *interior* angustior, mutica, emarginata: *tertia* in flore hermaphroditico angustissima, tenuissima, integra, mutica. *Antheræ* oblongæ, flavæ. *Germen* subrotundum, pilosum. *Stigmata* subsessilia, cylindracea, plumosa. *Semen* ovatum, liberum.

a. Portio rachis, cum flosculis in situ naturali, calyce orbatis.
B. Flosculus hermaphroditicus seorsìm, duplò auctus, arte expansus.
C. Flosculus masculus expansus, cum abortivo pedicellato *D.*
E, E. Corollarum glumæ exteriores.
F, F. ———————— interiores.
G. Gluma intima flosculi hermaphroditici.

TABULA 94.

ÆGILOPS COMOSA.

Ægilops spicâ cylindraceâ triflorâ, floribus inferioribus dentato-emarginatis: summo multiaristato.

In insulis Græciæ frequens. ⊙.

Hujus specimina nunquam vidi. Characteres ex icone petendi.

a. Flos e parte inferiori spicæ, cum calyce *b, b,* flosculis hermaphroditicis *c, c,* et masculino brevitèr pedicellato *d,* omnibus in situ naturali.
C. Flosculus hermaphroditicus auctus.
D. Flosculus masculinus cum proprio pedicello.
E, E. Corollarum gluma exterior.
F, F. ———————— interior.
g. Pars floris e summitate spicæ, sistens glumam calycinam triaristatam, cum flosculo hermaphroditico, cujus gluma exterior longiùs aristata est, interior verò mutica.

TABULA 95.

ÆGILOPS CYLINDRICA.

Ægilops spicâ cylindraceâ strictâ multiflorâ, floribus inferioribus dentato-emarginatis subaristatis: summo biaristato.

Æ. cylindricus. *Waldst. et Kitabel. in Hort. Gotting.* ex auctoritate amicissimi D. H. A. Nœhden.

Gramen creticum, spicâ gracili, in duas aristas longissimas et asperas abeunte. *Tourn. Cor.* 39.

In insulâ Cretâ. ☉.

Radix, ut videtur, annua, fibrosa, fibris tomentosis. *Culmi* plures, pedales, erecti, simplices, graciles, teretes, scabriusculi, foliosi, basi geniculati. *Folia* patentissima, breviuscula, lineari-lanceolata, acuta, plana, plùs minùs pilosa, vaginis ciliatis, vix inflatis. *Stipula* brevis, obtusa, erosa, utrinque pilosa. *Spica* erecta, bisive triuncialis, cylindracea, gracilis, stricta, scabra, multiflora, simplicissima. *Rachis* flexuosa, articulis sursùm dilatatis, valdè compressis, sulcatis, asperis. *Flores* solitarii, sessiles, rachi adpressi; quorum duo (plerumque) infimi abortivi et obsoleti sunt, summus longissimè aristatus, vix fertilis. *Calycis* glumæ elliptico-oblongæ, cartilagineæ, extùs nervosæ, scabræ, intùs lævissimæ, omnes, dempto flore terminali, emarginato-dentatæ, denticulo altero in aristulam brevissimam, scabram, subindè producto. *Arista* in utrâque valvulâ calycinâ floris supremi solitaria, terminalis, recta, triuncialis, simplicissima, scabra, basi complanata et sulcata. *Flosculi* (in omnibus) duo hermaphroditici, cum intermedio pedicellato, abortivo. *Corollæ gluma exterior* dorso scabra, apice emarginata, ferè mutica: *interior* involuta, integerrima, margine ciliata. *Antheræ* lineares, albidæ. *Germen* oblongum, pilosum. *Semen* compresso-cylindraceum, apice barbatum, hinc sulcatum.

Distincta omninò ab *Ægilope caudatâ* Linnæi, cui perperàm in *Sp. Pl.* synonymon Tournefortii annectitur, et cujus icon apud Buxbaumium, *Cent.* 1. *t.* 50. *f.* 1, videnda est.

A. Flos paululùm auctus, expansus.
B. Flosculus seorsìm.
C, C. Glumæ calycinæ.
D. Flosculus intermedius abortivus.
E, E, E. Glumæ exteriores corollæ.
F, F, F. ——— interiores ejusdem.
G, G. Semen.

Stigmata iconi et speciminibus desunt.

ELYMUS.

Linn. G. Pl. 39. *Juss.* 31.

Calyx lateralis, bivalvis, aggregatus, multiflorus.

TABULA 96.
ELYMUS CRINITUS.

Elymus spicâ erectâ, spiculis subbifloris scabris longissimè uniaristatis, involucro erecto setaceo scabro.



Elymus crinitus.



Secale villosum

E. crinitus. *Schreb. Gram.* v. 2. 15. *t.* 24. *f.* 1.

Hordeum crinitum. *Desfont. Atlant.* v. 1. 113.

Gramen hordeaceum, spicâ aristis longissimis circumvallatâ. *Scheuchz. Agr.* 20. *Buxb. Cent.* 1. 33. *t.* 52. *f.* 1.

In collibus ad vias circa Smyrnam. ☉.

Radix fibrosa, annua. *Culmi* plures, pedales et ultrà, simplices, foliosi, teretes, glabri, basi geniculati. *Folia* patentiuscula, lineari-lanceolata, acuminata, plana; suprà pubescentia; subtùs scabra; vaginis strictis, elongatis. *Stipula* brevis, obtusa. *Spica* erecta, simplex, crassiuscula, demptis aristis vix biuncialis. *Rachis* subflexuosa. *Flores* erecti, duplici serie alternatìm per paria digesti. *Calycis* glumæ setaceæ, erectiusculæ, æquales, carinatæ, scabræ, haud unciales. *Spiculæ* sessiles, calyce duplò breviores, at longissimè aristatæ, bifloræ, flosculo altero pedicellato, abortivo, mutico. *Corollæ* glumæ, in flore perfecto, oblongæ, subæquales; interior mutica, complanata, extùs ciliata; exterior concava, scabra, aristata. *Arista* terminalis, solitaria, recta, subulata, scabra, triuncialis vel ultrà. *Antheræ* breves, utrinque bilobæ, flavæ. *Stigmata* plumosa. *Semen* lineare, hinc sulcatum.

Ab *Hordeo jubato* americano, cui synonyma ejus tribuuntur, prorsùs alienum est hoc gramen.

a. Spiculæ geminæ e rachi separatæ.
b. Calyx seorsìm.
c. Portio rachis.
D. Flosculus perfectus, arte expansus, unà cum abortivo pedicellato, *E*, spiculam constituens.
f, f. Semen.

SECALE.

Linn. G. Pl. 39. *Juss.* 32. *Gærtn. t.* 81.

Calyx bivalvis, solitarius, biflorus, in rachi dentatâ.

TABULA 97.

SECALE VILLOSUM.

Secale glumis calycinis cuneiformibus retusis fasciculato-ciliatis.

S. villosum. *Linn. Sp. Pl.* 124. *Willden. Sp. Pl.* v. 1. 471.

Gramen spicatum secalinum, glumis villosis in aristas longissimas desinentibus. *Tourn. Inst.* 518.

G. secalinum maximum. *Park. Theatr.* 1144.

Αγριοσέκαλι *Zacynthiorum.*

β. Gramen creticum spicatum secalinum, glumis ciliaribus. *Tourn. Cor.* 39. *Buxb. Cent.* 5. 21. *t.* 41.

Triticum creticum. *Raii Hist.* 1240.

In Cretæ et Zacynthi agris. ☉.

Radix fibrosa, annua. *Culmi* numerosi, erecti, pedales aut bipedales, simplices, foliosi, teretes, striati, glabri, basi geniculati, geniculis tumidis. *Folia* patentia, lineari-lanceolata, acuta, integerrima, plana, nervosa, utrinque pilosa, vaginis subinflatis, striatis, glabris. *Stipula* brevissima, obtusa, crenata. *Spica* bi- vel triuncialis, erectiuscula, cylindracea, crassa, densa, multiflora. *Rachis* subflexuosa, lævis. *Flores* solitarii, alterni, subpedunculati, erectiusculi. *Calycis* glumæ æquales, cuneiformi-oblongæ, retusæ, concavæ, carinatæ, sulcatæ, extùs pilosæ, pilis duplici serie fasciculatìm digestis, apice aristatæ. *Aristæ* solitariæ, subulatæ, rectæ, scabræ, longitudine variæ. *Flosculi* pedicellati, plerumque bini, paralleli, æquales, subinde cum tertii rudimento, abortivo, longiùs pedicellato. *Corollæ* glumæ subæquales, oblongæ, concavæ, carinatæ, emarginatæ; interior mutica, nuda; exterior aristata, aristâ calycinæ simillimâ, at sæpiùs longiore. *Antheræ* longè exsertæ, pendulæ, lineares, emarginatæ, flavæ. *Germen* oblongum, obtusum. *Stigmata* cylindracea, ferè sessilia, plumosa.

Varietas β in Herbario Banksiano, e Vaillantio olim ad Gronovium missa, nullo numero haberi meretur, nec a specimine in tabulâ depicto differt nisi spicâ paululùm minore.

Secalis genus ægrè a Tritico distinguendum.

a. Flos integer e spicâ sejunctus.
B. Calyx auctus, cum unico flosculo tantùm non resecto.
C. Pedunculus proprius pilosus.
D. Corollæ gluma exterior, cum aristâ.
E. ——— ——— interior.



Hordeum bulbosum

HORDEUM.

Linn. G. Pl. 39. *Juss.* 32. *Gærtn. t.* 81.

Calyx lateralis, bivalvis, ternus, uniflorus.

TABULA 98.

HORDEUM BULBOSUM.

Hordeum flosculis lateralibus masculis submuticis, glumis calycinis uniformibus setaceis basi ciliatis, radice bulbosâ.

H. bulbosum. *Linn. Sp. Pl.* 125. *Amœn. Acad. v.* 4. 304. *Willden. Sp. Pl. v.* 1 474.
H. strictum. *Desfont. Atlant. v.* 1. 113. *t.* 37.
Gramen creticum spicatum secalinum altissimum, tuberosâ radice. *Tourn. Cor.* 39.
G. bulbosum ex Alepo. *Bauh. Pin.* 2. *Prodr.* 4. *J. Bauh. Hist. v.* 2. 431.
G. secalinum bulbosâ radice. *Scheuchz. Agr.* 19. *Barrel. Ic. t.* 112. *f.* 2.
G. secalinum chalepense, radice tuberosâ. *Moris. Hist. sect.* 8. *t.* 6. *f.* 7.

In arenosis maritimis insulæ Cypri. ♃.

Radix perennis, bulbosa, aggregata, bulbis ovato-globosis, extùs tenuissimè pubescentibus, vel subincanis. *Culmi* ex singulis bulbis solitarii, erecti, stricti, tripedales, simplices, foliosi, teretes, glabri, striati, basi tunicati. *Folia* patentia, linearia, acuminata, plana, integerrima, striata; subtùs glabra; suprà scabriuscula, et interdùm subpilosa. *Vaginæ* strictæ, læves atque glaberrimæ; summa elongata, sæpiùs ventricosa, folio brevissimo. *Stipula* brevissima, obtusa. *Spica* biuncialis, palmaris et ultrà, erecta, stricta, arcta, multiflora. *Rachis* articulata, fragilis, compressa, angulis scabra. *Spiculæ* distichæ, imbricatæ. *Flores* laterales pedicellati, pedicellis scabriusculis; intermedius sessilis. *Calycis* glumæ omnes uniformes et longitudine subæquales, lanceolato-setaceæ, basi ciliatæ, aristâ scabrâ, rectâ. *Flosculi* omnes solitarii, quandoque cum alterius rudimento, setaceo, brevi; laterales masculi, vel omninò mutici, vel breviùs et obtusiùs aristati; centralis hermaphroditicus, aristatus, aristâ terminali, rectâ, scabrâ, calyce duplò vel triplò

longiore. *Glumæ* lanceolatæ, concavæ, scabræ; interiores semper muticæ. *Antheræ* exsertæ, pendulæ, lineares, flavæ. *Stigmata* plumosa, brevia.

a, A. Spicula magnitudine naturali et auctâ.
B. Flos lateralis, masculinus, muticus.
C. Flos centralis hermaphroditicus.
D, D, D, D. Calycis arista.
E, E. Corollæ gluma interior.
F, F. Corollæ gluma exterior, in flore masculino mutica, in hermaphroditico aristata.
G, G. Rudimentum setaceum flosculi abortivi.

TRITICUM.

Linn. G. Pl. 40. *Juss.* 32. *Gærtn. t.* 81.

Calyx bivalvis, solitarius, multiflorus, in rachi flexuosâ, dentatâ.

TABULA 99.

TRITICUM JUNCEUM.

Triticum calycibus truncatis quinquefloris, foliis involutis mucronato-pungentibus.
T. junceum. *Linn. Sp. Pl.* 128. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 480. *Fl. Brit.* 157. *Engl. Bot. v.* 12. *t.* 814. *Fl. Dan. t.* 916.
Gramen loliaceum maritimum, foliis pungentibus. *Tourn. Inst.* 516.
G. angustifolium, spicâ tritici muticæ simili. *Bauh. Pin.* 9. *Prod.* 18. *f.* 17. *Scheuchz. Agr.* 7. *Moris. Hist. sect.* 8. *t.* 1. *f.* 5.
G. maritimum, spicâ loliaceâ, foliis pungentibus, nostras. *Pluk. Phyt. t.* 33. *f.* 4, *a.*

In insularum Græcarum arenosis frequens. ♃.

Radix repens, teres, articulata, glabra, fibris crassis, ramosis, tomentosis, albidis. *Culmi* adscendentes, simplices, spithamæi, bipedales et ultrà, teretes, striati, glabri, basi præcipuè foliosi et geniculati. *Folia* patentia, linearia, acuminato-pungentia, involuta, striata, glauca; subtùs lævissima; suprà inter strias scabra. *Vaginæ* strictæ, sulcatæ, glabræ; inferiores sæpiùs purpurascentes. *Stipula* brevissima, obtusa. *Spica* simplicissima, erecta, stricta, glauca, longitudine maximè varia. *Rachis* articulata, lævis, articulis hinc convexis, striatis, illinc longitudi-



Triticum junceum.





A



a

C



B

Cenchrus capitatus.

nalitèr excavatis. *Spiculæ* alternæ, erectæ, solitariæ, distichæ, compressæ, glaberrimæ, muticæ, articulo opposito subæquales. *Calycis* glumæ cymbiformes, ecarinatæ, retusæ, sulcatæ. *Flosculi* quatuor, quinque vel sex, alterni, in rachi partiali compressâ, tenuissimè ciliatâ, superiores sensìm minores, summi abortivi. *Corollæ* gluma exterior figurâ calycis, at sæpiùs cum mucronulo obtuso; interior parùm minor, emarginata, complanata, marginibus inflexis, extùs ciliato-scabris. *Antheræ* lineares, albidæ, exsertæ. *Germen* turbinatum, angulatum. *Stigmata* subsessilia, plumosa.

a. Spicæ articulus, spiculam in apice gerens.
B. Flosculus seorsìm, expansus et parùm auctus.
C. Corollæ gluma exterior.
D. ——— ——— interior.
E. Pistillum seorsìm.

CENCHRUS.

Linn. G. Pl. 542. *Juss.* 30. *Gærtn. t.* 80.

Involucrum laciniatum, echinatum, bi-quadriflorum. *Calyx* bivalvis, biflorus, flosculo altero masculo. *Corolla* bivalvis, mutica.

TABULA 100.

CENCHRUS CAPITATUS.

Cenchrus spicâ ovatâ simplici terminali, involucris demùm stellatis.
C. capitatus. *Linn. Sp. Pl.* 1488. *Rel. Rudb.* 7. *f.* 1, 2. *Ait. Hort. Kew. v.* 3. 426.
Echinaria capitata. *Desfont. Atlant. v.* 2. 385.
Gramen spicatum, spicâ subrotundâ echinatâ. *Tourn. Inst.* 519.
G. spicâ subrotundâ echinatâ. *Bauh. Pin.* 7. *Prodr.* 16. *Theatr.* 107. *Rudb. Elys. v.* 1. 67. *f.* 1. *Scheuchz. Agr.* 74.
G. montanum echinatum tribuloides capitatum. *Column. Ecphr.* 340. *t.* 338. *f.* 1.
G. minimum, spicâ globosâ echinatâ. *Barrel. Ic. t.* 28. *f.* 1. et *t.* 863. *f.* 2.

In Bithyniâ. ☉.

Radix parva, annua, e fibris paucis, glabris. *Culmi* sæpiùs plures, palmares, erecti, stricti, simplices, foliosi, supernè nudi, crassiusculi, teretes, sulcati, glaberrimi. *Folia* erectiuscula, plana, linearia, integerrima, obtusiuscula, nervosa, utrinque pubescentia, vaginis brevibus, dilatatis, laxis, submembranaceis. *Stipula* breviuscula, lacera. *Spica* terminalis, solitaria, erecta, ovato-subrotunda, simplex, densa, undique muricata. *Involucra* sessilia, congesta, cartilaginea, compresso-turbinata, sulcata, basi squamosa, margine septempartita, laciniis lanceolatis, aristatis, planis, scabriusculis, inæqualibus, subtùs carinatis, demùm horizontalitèr patentibus.

Fructificationis structura e speciminibus siccis vix erui potest. Flosculi ex icone solitarii, hermaphroditici, corollâ destituti, videntur, neque cum charactere generico optimè conveniunt. *Semen* subrotundum, liberum, in fundo involucri.

A. Involucrum cum flosculo in situ naturali.
B. Flosculus seorsìm.

FINIS VOLUMINIS PRIMI.